

AUCUPIUM
SPECIOSUM,
SEU PULCHER
FESTIVUSQUE
DEVOLUCRI
MALEDICENTIA
TRIUMPHUS.

*Voluntaria et libere edita sunt
auctore Renato Gallo.*

RENATO BALDUINO GALLO,
Sacrae Theologiae Doctore.

LEODIJ:

TYPIS VIDUÆ NICOL. BETSTEINTZ
Anno MDCCXLIV,

Superiorum permissu, & privilegio.


APPROBATIO.

Opus inscriptum, *Aucupium speciosum*, cui *Auctarium* appenditur, Auctore Renato Balduino Gallo Saer. Theolog. Doctore, iusta, & moderata defensio est aduersus contumeliosos, & aberrantes inuafores: nec orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus aduersatur. Quapropter illud prælo dignum censeo. Leodij 11. Junij. 1744.

Gaspar Berlebourg.
Canonic. Leod.

FACULTAS ORDINARIJ.

Potest imprimi
Leodij 15. Junij an. 1744.



Joann. Hatzfeld.
& D. Leod. V. G.

Ampliff. Leodiens. Urbis Magistratus Privilegium concessit Viduæ Nicol. Bersteintz, Typogr. pro imprimendo Opere, cui titulus, *Aucupium speciosum cum Auctario*, die 20. Junij an. 1744.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

AMICUM habeo Hispanicum, quocum mihi frequens est litterarum commercium, virum eruditum, & novorum eventuum ad rem litterariam spectantium curiosum indagatorem. Hic superiore anno 1743. ad me perscripsit, nonnullis in urbibus Hispaniae, Salmantica praesertim, circumferri quorundam Cisterciensium Libellos praeo excusos, & in eis querimonias amaras de Jesuitis Bollandiani Operis Continuatoribus, quod in editione Actorum S. Bernardi Clarevallensis Abbatis Notas duas addiderint ad totidem historiolas à coaevo S. Bernardi Biographo exaratas. Rogavi protinus Amicum, ut Libellos ipsos, si haberi possent, ad me transmittere dignaretur. Misit ille confestim, ut est homo gravis, & impiger, Libellos quatuor, nempe Judicium humiliss. Monachi, Anticrisium Bernardinum, Conflictum spectabilem, & Primam Columnam veritatis, quibus adjunxit cujusdam Presbyteri Litteras Apologéticas. Hos omnes Libellos nullâ morâ perlegi. Et in prioribus quidem miratus sum, quod Cistercienses Hispani tam acerbè ferrent Notas duas, modestissima prudentia plenas, & S. Bernardo perhonorificas. Sed totus cohorrui, cum deinde vidi Conflictum spectabilem: nunquam enim mihi vel somnianti succurrerat fieri aliquando posse, ut à Cisterciensi Monacho, non apostatâ, nec exuto cucullum, adversus totam Societatis Jesu Religionem tam nefaria, & inverecunda satyra prodiret.

Meum illic incessit animum ardens cupido Libellum refutandi sceleratum pariter ac futilem, monstrôsâ nempe maledicentiâ refertum, erroribus intertextum, cetera frivolum. Consilium ut novit, impensè probavit Hispanicus Amicus: utque refutationem quantocyùs aggrederer, hortatus, ultrò ad me misit, generosè admodùm, quascumque notitias eundem ad finem ipse sibi paraverat, & in Adversaria collegerat, praesertim de Libellorum veris Authoribus, nomina occultantibus propria, quàmvis professionem declarantibus, & alia de se praebentibus indicia. Addidit Hispanicae linguae sales, parèmiâs, versiculos, textus Authorum patrio idiomate scribentium, & alia non pauca, quibus me loco dissitum huc parùm instruxit, & magnoperè juvit. Ignota mihi reapse non est Hispanica lingua, quam ab adolescentiâ non incuriosè didici, gravitate, & energiâ ejus mirificè delectatus: sed tamen, quae nunc ex illâ interseram scriptioni Latinae, generoso Amico, in partibus, ut ajunt, versanti, gratè ac libenter accepta refero. Simul rogavit idem vir sapiens, ut non modò Conflictum spectabilem, sed & reliquos excuterem Libellos, & injurias depollerem Jesuitis Antuerpiensibus contra omnem rationis & modestiae regulam irrogatas. Id quod praestandum mihi suscepi animo perlubenti: diu enim est, cum Scriptores illos plurimi facio, & in hoc praecun-

tes

Ves habeo Eruditos quosquē ex omni, quae sub Caelo est, litteratā Natione. Potissimā tamen scribendi causa mihi est infandum scelesti Monachi facinus, qui adversus totam Societatem Jesu impudentissimē debacchatur. Religionem hanc, sanctissimam pariter & sapientissimam, totā mente veneror, & corde diligo: quippe quae mihi Magistra mentis & cordis fausto sydere obtigit, meque à puero (ut & Catholicorum litteris studentium partem maximam) suis in Scholis educavit, & optimo doctrinae lacte nutritiv; ac deinde multarum disciplinā Scientiarum diligenter excoluit. Utinam sterilis ager cultura tam sedula respondisset uberiore proventu! Nunc respondebit utcumque nonnulla saltē grati animi significatio; dum nefarij compressero detractoris audaciam, & furentis impetum propulsavero.

Præconcepto igitur incumbens Operi, jam totum panē currentis anni Januario mense perfeceram, & ad prælum ferē paraveram: cum ecce novis ex Hispaniā litteris, editionem ut tantisper suspenderem, Amicus admonet: scire se inquiens, R. P. Provincialem Castellanae Provinciae Societatis Jesu binas ad R. P. Generalem Congregationis Cisterciensis dedisse litteras, quibus modestē satis injuriam exostulans Jesuitis omnibus illatam infami Libello, nomen præferente Cisterciensis Monachi, suorum se jussu & autoritate Superiorum impelli jactantis, R. P. Generalem comitē precabatur, ut subditum sibi Monachum, Authorem Conflictus Ipectabilis, ad calumniarum retractationem cogeret, & ad satisfactionem Societati præstandam: sperandum proinde, fore ut R. Generalis acquiesceret postulationi tam justae: quamdiū autem spes hæc affulgebat, Jesuitis Hispanis, quibus arcta est cum Cisterciensibus amicitia, displiciturum absdubio, quod alius quispiam, præter sui Ordinis Prælaturam, calumniatorem Monachum castigaret.

Hac ratione permotus, duos adhuc menses expectavi. Quibus elapsis, exemplar ab Amico accepi, Typis impressum, Epistolarum R. Provincialis unā cum responsionibus R. Generalis: ac simul ab eodem didici, iudicio cunctorum, qui Epistolas cum responsionibus legerant, eorum etiam, quibus nulla cum Jesuitis necessitudo erat, R. Generalem oneri succumbere; nec tamen, quod rogabatur, exequi velle. Conatus quidem fuerat responsione primā querelam in Societatem retorquere, suumque Monachum excusare provocationis ac defensionis pretextu, causatus atrociores injurias Religioni suae prius illatas ab Authore Litter. Apolloget., quem Jesuitam esse Castellanae Provinciae, pro comperto haberi voluit omnino gratis. Sed secundæ R. Provincialis Epistolae, quā & retorsio palam, licet urbanè, convicta est importunitatis, & excusatio planè redarguta falsitatis, & ineptitudinis, nihil, quod opponeret, R. Generalis invenit.

Idcirco prudens conticescere maluit : sed eloquenti silentio publicè passus est, satisfactionem Societati deberi ; de quâ tamen, deque delinquentis subditi correctione, nihil neque præstitit, neque spondit, contentus responsione primâ improbasse (quamquàm non satis eubegoricè, nec dilucidè) Monachi facinus, & à Congregationis Definitorio culpam ratiocinio sat gracili depulisse. Sibi quodque excusationem abstulit de ignoratâ detractoris Monachi personâ, viam illius dignoscendâ, à R. Provinciali propositam, detrectando, necnon declarationem proprio sub nomine recusando, ad quam R. Provincialis suo præiturus exemplo fidenter invitabat: præterquam quòd secunda R. Provincialis Epistola evincere videbatur, Monachum istum non posse non Generali suo esse notissimum: nec ipse se occultabat ullo modo ; sed coràm domesticis & externis palàm se se jactabat Authorem Libelli, quasi dolens, quòd in eo proprium nomen propter furtivam impressionem suppressere coactus fuisset. Hoc omnium commune iudicium cum Cistercienses latere minimè posset, addebat Amicus, & suâ, & aliorum opinione fieri non posse, quin generale Capitulum, proximo mense Majo celebrandum, de modo aliquo satisfactionis deliberaret, non jam Societati præstandæ, sed Publico ; ut saltem honori Ordinis consuleret, ne putaretur crimini connivere, & impunitum relinquens Monachum, particeps delicti quodammodo fieret. Adhuc igitur hortabatur Amicus prudens & pacificus, meum edere Opusculum ne adproperarem, donec expectata Capituli providentia prodiret in lucem.

His ego, licèt jam tot morarum impatiens, acquievi. Atque hoc interim spatio refutationem duorum alterius Monachi Cisterciensis Libellorum, quos unâcum laudatis Epistolis tardius accepi, & quorum alter Appellatio Index, alter Melioratio Appellationis inscribitur, Lucubrationi meæ, præsertim secundæ parti, opportunis in locis inserere curavi. Tandem post duos menses alteros nuntiat Amicus, celebratum quidem Cisterciense Capitulum, sed nihil in eo de re istâ tractatum: quin potius Authorem Conflictus, quasi strenuum Religionis pugilem, & athletam, auctoritate Capituli privilegijs & honoribus, quibus Generales totius Congregationis Prælati gaudere solent, auctum, & remuneratum evasisse. Hinc Monachus ipse, denuò de præclaro facinore sibi plaudens, Conflictum suum (ut nunc nunc intelligo post impressionem Opusculi mei, dum Præfationem hanc ipsi præfigendam elaboro) Matrili recudi fecit, vel altrò consentit, ne tam eximij Operis memoria periret umquam.

Erit fortassè, qui desideret in Religiosissimâ Congregatione tenacem æqui justique zelum, decori studium, communis etiam existimationis ac famæ respectum ; ne quid insuper de honore dicam, & observantiâ Ordinis erga fœditicam Familiam, baud sanè immeritam, ut quæ nullum

erga Cistercienses officij, vel obsequij genus omni loco & tempore præter-
 misit. Sed me iudice culpabili non sunt Religiosissimi & sapientissimi
 Patres in Capitulo congregati. Nonnulla quippe in qualibet optime cons-
 tituta Republica decernit, aut providet, non tam approbatio, quam to-
 lerantia, majorisque mali metus hanc imprudens. Periculosum erat Cis-
 terciensi Reipublice hominem irritare superbum, indocilem, audacem,
 factiosum, vanâ sui estimatione tumentem, honoribus jamdudum ob-
 tentis, aut extortis elatum, clientibus stipatum, & adhuc ad civilia bel-
 la præcinctum. Quod ne gratis, ac temere dixisse videar, Authorem profe-
 ro R. P. Generalem in posteriore ad R. Provincialem responsione: ubi me-
 dia sibi proposita, quibus monachum infamis Libelli Scriptorem facillè dig-
 nosceret, & ad confessionem criminis adigeret, omninò recusat, disertè
 dicens: En orden à los medios, que V. Rm. me propone para la averi-
 guacion de los Autores de ambos Papeles, ... los juzgo por incongruen-
 tes, y que acaso pudieran encender un fuego, que ni V. Rma., ni yo
 pudieramos apagarle. *Ex ijs, qui verba ista legerunt, nemini ambiguum
 fuit, undenam, aut à quonam immineret incendium, usque adeò vehemens,
 & inextinguibile: nulli quippe venit in mentem, incendium hujuscemo-
 di ab Authore Litter. Apologct., si Jesuita esset, excitatum iri: qua
 de re securus admodum erat R. P. Provincialis; securique pariter omnes,
 qui Jesuitarum ad Superiores Ordinis subjectionem, nullis umquam immi-
 nutam privilegij, norant. Totum igitur incendij periculum non nisi à
 Monacho Authore Conflictus imminabat; qui dubio procul, si tantulum
 à Superiore suo premeretur, instar pyrij pulveris levi scintilla tacti, ce-
 leri inflammatus irâ totus ignesceret, & latè funderet incendium, quo to-
 ta forsan Congregatio Cistercij deflagraret. Oportuit itaque communi ce-
 dere periculo, & violentum hominem non modò impunitum relinquere,
 sed etiam (licet non sine magno, ut credere par est, dolore honorum) no-
 vis honoribus delinire, ne pacem ordinemque Religiosæ Reipublicæ pertur-
 baret. Ego tamen, cui nihil ab homine isto, Prælati Fratribusque suis
 formidabili, sed mihi homuncione frivolo, metnendum; tam ipsum, quam
 duos ejus sodales, aliorum Authores Libellorum, coarguere, ac refellere ag-
 gredior; Licetbrattonemque meam, post tot moras frustra interpositas, in
 lucem tandem publicam emitto. Duas illa continet partes: quarum prior,
 stylo concepta liberiore, ac plerumque festivo, dissipandis maximè calum-
 nijs impenditur: & quia ridiculas & infaustas infectatur Aves, Aucu-
 pium speciosum inscribitur. Posterior verò, que Notus Antuerpienses ab
 injuriosa oppugnatione vindicat, & ob Theologicam absurda ac malè sa-
 nâ doctrina refutationem visa est stylum exigere austeriorem, Aucupium
 Aucupij nuncupatur.*

Nequis autem me forsitan incuset, quod Adversarios meos asperius
 iusto carpam, acerbius tractem, aut largius irrideam, animadvertat oro,
 notetque 1. atrocitatem injuriarum, quas mihi sumpsi propellendas, &
 insolentissimum convitiandi genus, quod injurias ipsas nimio opere exas-
 perat, prorsusque reddit intolerabiles: item, quanti sit momenti doctrina
 orthodoxa, quæ vindicatur in Kactario, quantique periculi & scandalii
 doctrina contraria. Hæc qui perpenderit, a me cum Adversarijs agi te-
 nedis, ac mitius multo, quam pro rei meritis, arbitrabitur. 2., nullum a
 me adversus aliquem Religiosum Ordinem proferri verbum minus urba-
 num, minus de honorificum. 3., individuos tantummodo Monachos, unum
 aut alterum, irrideri, ac reprehendi, eosque anonymos, vel fictis Avium
 nominibus in scenam productos. 4., non alia istis exprobrari vitia, quam
 quæ suis ipsi Libellis manifestant, atque in medium proferunt. Denique,
 non omnem acrimoniam, omnem jocum, omneque convitium esse culpand-
 um: possunt enim hæc ex intentione dicentis, & alijs ex causis interd-
 dum honestari; ut sapienter pro more docet Angelicus Doctor D. Thomas
 2. 2. q. 38. art. 1., & q. 72. art. 2. in corp., & in respons. ad 1. & ad
 2.; quo postremo loco sic ait: Sicut licitum est aliquem verberare, vel in
 rebus damificare causâ disciplinæ; ita etiam & causâ disciplinæ potest
 aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dice-
 re. Et hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos, & Apollolus Ga-
 latas insensatos. Doctrina hæc præcipue respicit Pralatos, ut per se pa-
 tet. Sed, quoniam Pralati Congregationis Cisterciensis erga unum aut
 alterum criminofum Monachum, quantumcumque meritum, eâ uti no-
 luerunt, vel potius metu mali majoris non sunt ausi munus obire pro-
 prium; æquo animo ferent, opinor, quod externus aliquis ex eorum præ-
 sumptâ voluntate munus hoc, & officium obeat justî correctoris, tum
 disciplinæ causâ, tum necessariæ causâ defensionis.

ERRATA TYPOGRAPHICA CORRIGENDA.

PAG. 4. lin. 23. famosa, leg. fumosa. Pag. 8. lin. 22. notas, leg. no-
 tatas. Pag. 9. lin. 26. emines, leg. eminent. Pag. 19. lin. 22.
 vix, leg. vir. Pag. 20. lin. 42. modestius, leg. modestius. Pag. 33. lin.
 38. Ara, leg. Are. Pag. 39. lin. 14. 7. de postulat. præben. leg.
 2. de postulat. pralat. Pag. 55. lin. 2. mendanda, leg. emendanda. Pag.
 65. lin. 18. confere, leg. confere. Pag. 71. lin. 6. nihil, leg. nibili.
 Pag. 87. lin. 27. igitur, leg. agitur. Ibid. lin. penult. foris, leg. foris.
 Pag. 96. lin. 7. autumabere, leg. autumabis.

Aliâ quædam minoris momenti errata facile per se corriget lec-
 tor quilibet non rudis.

INDEX
 PRODROMI AUCUPIJ.

	Pag.
§. I. Occasio accepta maledicendi.	1.
§. II. Ortus querelarum.	2.
§. III. Jesuitas Antuerpienses Bollandiani Operis Continuatores, quàm comiter acceperit Author <i>Judicij</i> .	2.
§. IV. Anonymus Bollandistarum vindex, quid commiserit, & quas dederit pœnas.	7.
§. V. Maledicentia <i>Columba</i> in Jesuitas Antuerpienses.	9.
§. VI. Adversùs eosdem Antuerpienses maledicentia <i>Consilius</i> .	11.
§. VII. Abnormis, & incredibilis maledicentia in Societatem Jesu, & in Je- suitas universim.	14.
<i>AUCUPIUM SPECIOSUM.</i>	
§. I. Aucupij ratio. Qualitas Aucupum, & Alitum.	25.
§. II. Cautio prænотanda. Necessitas defensionis. Consilium Authoris.	28.
§. III. Milvi conditio, & pravitas. Adversariorum Alitum sœvitia immo- dica.	30.
§. IV. Sœvitia plusquam Falconia defensionis nomine perperam excusata.	34.
§. V. Lepidum in Corpore Juris privilegium an sœvitiam maledicam ex- cuset.	37.
§. VI. Garrulitas Anseris, & Palumbi sodalis, quàm plausibilis.	40.
§. VII. Styli puritas, & elegantia utriusque Volucris, quàm digna plausibus.	44.
§. VIII. Quantum ad plausus conferat Palumbi, & Anseris eruditio re- condita.	48.
§. IX. Occasione datâ differitur de infallibilitate Guillelmi.	53.
§. X. Guillelmus ex communi sensu Sapientum moraliter fallibilis.	55.
§. XI. Anserinæ pro Guillelmo instantiæ dispelluntur.	58.
§. XII. Leviores alij contra Milvum assultus.	63.
§. XIII. An seris <i>Consilius</i> Heterodoxis quàm plausibilis.	65.
§. XIV. Quo fructu legent Heterodoxi <i>Consilium</i> Anseris.	73.
§. XV. Convenitur, & constringitur ex dictis Anserina procacitas.	80.
§. XVI. Describuntur dotes Anseris, & calumniofa ejus in Societatem male- dicta percurruntur, ac dissipantur singulatim.	83.
§. XVII. De Pseudo prophetijs ab Anseris memoratis nonnihîl.	95.
§. XVIII. Accelsio novi Alitis ad Aucupium.	102.

PRO-

PRODROMUS AUCUPIJ,

MALEDICENTIÆ VOLUCRIS ORTUM , ET PROGRESSUM

enuntians;

AC SIMUL ORDINEM SERIEMQUE RERUM HUC

ſpectantium uno ſub aſpectu proponens.

§. I.

Occaſio accepta maledicendi.

7. **R.** P. Joannes Pinius Societ. Jeſu , qui unus eſt ex eruditiffimis Jeſuitis continuando magnæ molis Operi , à R. P. Joanne Bolando ejuſd. Societ. annis abhinc ferè centum inchoato , cui titulus *Acta Sanctorum* &c. , Antuerpiæ adlaborantibus ; cùm ad vigefimum diem menſis Auguſti collecta & illuſtrata ederet Acta Sancti Bernardi , Doctõris Melliflui , circa facta duo , quæ de Sancto memorat Biographus ejus V. Guillelmus , Sancti Theodorici Abbas , totidem appoſuit Notas , ut ea eſſe difficilia creditu admoneret. Nihil in verbis acre , nihil aſperum , nihil inurbanum : nihil item in ſenſu ; cùm potiùs eò tenderet utraque Notatio , ut Sanctum Bernardum , etiam juvenem , & nondùm Monachum , ab omni ſuſpitione culpæ lethalis eximeret. Hoc ut omnibus pateat , & Guillelmi Textus , & Piniſ Notæ ad verbum excribam.

Prior Guillelmi textus lib. 1. Vit. S. Bernard. cap. 3. aliàs 1.

2. „ Circa idem tempus inſtinctu Dæmonis in lectum dormientis (Bernardi) injecta eſt puella nuda. Quam ille ſentiens , cum omni pace & ſilentio partem ei lectuli , quam occupaverat , ceſſit , & in latus alterum ſe convertit , atque dormivit. Miſera verò illa aliquandiu jacuit ſuſtinens , & expectans , deindè palpans , & ſtimulans : noviffimè , cum immobilis ille perſiſteret , illa , licet impudentiffima eſſet , erubuit ; & horrore ingenti atque admiratione perſula , relicto eo , ſurgens auſugit.

Prior Nota, ſive Annotatio Piniſ ad illa verba, Quam ille ſentiens :::

3. *Quæ ſequuntur, debuerant caſtigari in Annotatis: res enim illa, conſideratis mature verbis, & circumſtantijs, quibus à Biographo accidiffe narratur, magnas habet difficultates. Nam quomodò Bernardus tantã vitæ caſtimoniã præditus, & tam circumſpectus ad cavenda omnia, quæ Angelicæ iſti virtuti repugnant, quomodò, inquam, in iſto proximo, ac præſentiſſimo peccandi periculo conſtitutus, cum omni pace & ſilentio partem iſti puellæ procaciſimæ lectuli, quam ipſe occupaverat, ceſſit, & in latus alterum ſe convertit, atque dormivit, uti aſſerit idem Guillelmus, atque ad eò ſine clamore, ſine reſultantia, ſine fuga, de proximo iſto incendio unicè manebat ſecurus? Quidquid ſit, hoc exemplum, ſi verè ita acciderit, ſicut narrat vitæ Scriptor, eſt unum è multis alijs, quæ inveniuntur in Sanctis miranda utique, & non imitanda.*

Alter Guillelmi textus loc. cit.

4. „ Contigit item , ut cum Socijs aliquantis apud Matronam aliquam , Bernardus hoſpitaretur. Conſiderans autem mulier adoleſcentem decorum aſpectu , :: in concuſcentiam ejus exarſit. Cùmque tamquam honorationis omnium , ſeorsùm ei feciſſet lectulum præparari , ſurgens ipſa de nocte impuden-

PRODROM.

2
 ,, tēr accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens ::: clamare cæpit, *Latrones, Latrones*. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minimè invenitur. *Sequitur, id ipsum eadem nocte iterum & tertio contigisse. Tum pergit Biographus: Cùm autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum Socij, quosnam toties eà nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille: Verè, inquit, aderat latro, & quod mihi pretiosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur auferre, incomparabilemque Thesaurum.*

Annotatio altera Pinij ad illud, Hospita nitebatur, &c.

5. *Imputatur hic Sancto manifestatio occulti criminis, & revelatio peccatricis, quam ipse solus noverat, non autem alijs, quibus eam manifestabat. Cùm autem hoc non liceat sine justâ causâ, vel sine aliquâ necessitate, ac neutrum apponat Biographus, Lectori iterùm difficultatem creat.*

§. II.

Ortus Querelarum.

6. **A**nnotationes istas, obsequio licèt quàm simillimas, ægrè tulerunt R. R. Cistercienses Monachi Congregationis Hispanicæ, graviter querentes de Pinianâ critique, quod fidem abrogaret Guillelmo, nec satis deferret fanaticitati Bernardi, cujus in gestis siquid appareret exoticum, inter miracula, vel superioris ordinis virtutes, computandum esset potius, quàm inter incerta reponendum. Querelas hæcce publicè inclamarunt Monachi duo, suo quisque Libello Typis edito, professi quidem se Cistercienses esse Congregationis Hispanicæ, tacito tamen proprio nomine, ut etiam Typographi, nullaque mentione facultatis, loci, aut temporis Impressionis. Titulus Libello alteri *Anticrisis Bernardina*, alteri *Judicium humilis cujusdam Monachi Cisterciensis Congregationis Castellæ, & Legionis super duplicem Notam, &c.*: quorum Authores partitus operis adorti sunt singuli singulas Pinij Notas toto nisu convellere, & narrationes Guillelmi propugnare. Nihil in medium protulit alter, & alter, ad eluendas Pinij Notas admodùm efficaci, aut opportunum. Nemo proindè refellere alterutrum curaret, si eà, quâ par erat, modestiâ scripsisset uterque. Verùm Author Libelli, qui *Judicij* nomine grandescit, centorio supercilio armatus, de Pinij & Sociorum critique adedè arroganter, fastuosè, minaciter, contemptum, sæclicè locutus est, ut lacessere magis Pinium & Socios, quàm Guillelmum defendere videretur. Quædam ex ejus Libello excerpta subjicio.

§ III.

JESUITAS ANTUERPIENSES, BOLLANDIANI OPERIS CONTINUATORES,
quàm comiter acceperit Author Judicij.

7. **P**ræclarus Censor, & Judex, statim à num. 1. sic fatur: *Visa ... Antuerpiorum* Antuerpiensium, vel potius Patris Pinij, Censoris etiam Censorum, Notulâ super illud, *Circa idem tempus instinctu Dæmonis, &c. ... liberè profero.* Nimius est Author, & excedit in hac subscribendâ Notâ, dum nimiam scrupulositate, ni dicam libidine, & cacoethe castigandi, notandi, & (si fas est dicere) criticandi quæcumque non arident, tantùm sibi permisit, quod non admodum reveritus Bernardi sanctitatem, dubitaverit etiam de veritate Guillelmi, prætà in hoc ejus venerabili auctoritate, & canitie: quin & latenter sugillat officitiam omnium illorum sapientum virorum, qui ferè per sex sæcula sine offensusculo scripturam istam legerunt, &c.

8. Quam rotunda & lævigata sententia præciari Judicis! Scilicet non admodum

dum reveretur Bernardi sanctitatem, qui ab eâ nititur gravem duarum labem amoliri culparum. Spernit etiam Guillelmi auctoritatem canonicamque venerabilem, qui in ejus unâ vel alterâ narratiuncula difficultatem invenit, ac proinde significat fieri posse, ut aliquid ipi humanitûs acciderit, nimirum ut in re facti obreperit error aliquis, aut alicujus omisio circumstantiæ, quæ detecta difficultatem fontem emolliret. Nec potest non latenter fugillare veterum olcitantium sapientum, quicumque Criticus in historiâ priorum temporum animadvertit aliquid pricis inobservatum, vel silentio præteritum. Quo vitio cum laborent Criticorum scripta omnia, qui à duobus sæculis in Ecclesiâ floruerunt, judicio istius Monachi cuncta penitus inductâ liturâ oportet aboleri.

9. „ Num. 2. *Hoc solum*, inquit, in *Notâ* notandum invenio; „ sed & hoc parvipendendum, & Critico condonandum existimo, eo vi- „ delicet despectu, vel eâ tolerantia, quâ Aristophanis, Aristarchi, „ & Zoily crisis in ipsum Homerum, à Sapientibus cunctis, ac benè „ cordatis viris usque hodiè spreta manet, semperque manebit.

10. Utquid ergo, vir eruditissime, oleum & operam perdis in confutandis Antuerpiensis Zoily deliramentis, quæ nulli sapienti ac benè cordato viro difficultatem creare sunt apta, nec efficere quominus Homerus tuus, Guillelmus Abbas, excipiat ab Horatianâ regulâ, *Quandoque bonus dormitat Homerus*?

11. Fingit deinde num. 6. objectionem quamdam è proprio cerebello natam, quasi proposita sibi esset à Pinio, tamen nihil tale somnante. Atque ita blaterat num. 7. *Ecce, Clarissimi Lectores* (si „ jam sine stomacho ista ferre, & legere potestis), *Ecce Critico-* „ *rum character. Ecce labor. Ecce opus. Ecce denique eorum subtilitas,* „ *aut potius futilitas, quibus, quasi fulcris sibi firmissimis, totam no-* „ *vitatum suarum machinam erigunt, & sustentant. Non dixit. Non conf-* „ *tat. Non est verisimile, & alijs, his similibus, quibus plus debito confi-* „ *dentem, & in suo sensu abundantes, antiquitatem spernunt, autho-* „ *ritatem calcant, traditiones respuunt, lapides movent, inscriptio-* „ *nes rodunt, Scripturas cassant, monumenta evertunt, numismata* „ *evolvunt, diplomata vitiant; atque benè sedatas hominum sapien-* „ *tum mentes agunt, vexant, torquent, frangunt, atque conturbant.* „ *Addit continuò num. sequenti: Hec dixerim in communi de Criticis* „ *hujus temporis, plura in specie disturus, si occasio exigat, si expof-* „ *tuler provocatio. Cistercienses enim, nisi lacesciti, tacemus, Ere-* „ *mis abditi, Choris intenti, nullis molesti, modesti omnibus.*

12. Nihil moratur Judex integerrimus eadem generali censurâ cum Jesuitis involvere complures, non solum Dominicanos, Franciscanos, Augustinianos, sed & Benedictinos, in Galliâ præsertim & Hispaniâ, Criticos hujus temporis insignes. Fortassis nondum præviderat fore, ut suâ interesset pro desperatâ causâ defensione propitios habere Benedictinos. Unde postmodum opus habuit ipsam adblasari, ac demulcere capita; quod in posteriore suo Libello sollicitè præstitit. Comminationem autem plura in specie dicendi adversus Jesuitas Antuerpienses, insigniter executus est in eodem posteriore Libello, & fi-

dem abundè liberavit. Illa verò minitabunda jactantia, *Cistercienses nisi laceffiti tacemus*, &c. importuna fuit, ut quæ maximè. Quis enim Cistercienses laceffebat? Quis compellebat Eremos deferrere, Choris abesse, molestos fieri, evadere immodestos? Sed importunior adhuc ejusmodi jactantia in ore Monachi, qui nec tacere novit, nec in Eremito habitare, nec intendit Choro, nec Prælati fratribus que suis molestus esse definit, nec modestus esse vel in senectâ vidit. Adde, quòd jactantiam illam omnimodis intempestivam reddebat memoria litium recentissima; undè arreptâ occasione ausus est eas irreverenter exponere, ut môx dicam, improbus Anonymus.

13. Multis deinde confictam objectionem oppugnare conatur homo verbosus, & argutor magis, quàm argumentator. Et quasi rem feliciter confecisset, victor exultat, & insultat num. 12. dicens: *Pudet*, ad tantas angustias Notatorem redegisse, ut faveat Dæmoni, ne pro, ceden e argumento compellatur (tacito à Guillelmo negato instinctu, tu) concedere, velit nolit, Bernardum in eo conflictu Deum habuisse, se spectatorem solum pugnæ, & non adjutorem in agone.

14. Mulere magis debuit, tum imposturæ, quâ Pinium, quod non dixit, dixisse fingitur; tum importunitatis argumentorum, quibus impugnatur objectio commentitia; tum levitatis in decantando victoriam de nullo hoste reportatam.

15. Num. 16. post alia multa prioribus inutilia, *Tota*, inquit, *Annotationis famosa machina ruit, jacet, evanescit*. Addit, generoso quodam despectu dimitti posse, nullâ productâ quereâ, nullâ satisfactione petitâ, cum nihil imminet detrimenti sui Ordinis decori ex eo, quòd pedestris *Annotatio currat*. Non enim (substitit) ea vis nubeculis illis vespertinis, aut crepusculinis, ad extremum Mundi, & Solis apparentibus, ut peracti jam diei, & secuturi valeant impedire & retardare splendorem.

16. Quis non laudet ubi Monachi perelegantem, & honoris plenam allegoriam? Sed quid opus erat tam diu exorcismo depugnare contra nubeculas istas vespertinas, è terreis, tenuibusque Jesuiticæ parvitatis vaporibus efformatas? si quidem nihil inde timeri poterat splendori diei, nulla laque Cisterciensibus imminabant fulmina, nulla conitrua?

17. Benignissimus tamen Index, ut vulnibus hisce medeatur, statim sequenti num. 17. Pinium & Socios dignatur appellare *viros alios, qui doctos, probos, pios, modestos, eruditos, de Ecclesiâ, deque*, Republicâ literariâ (unâ nimîâ criticâ exceptâ) optime benemeritos, frugaliter Operi magno pro omnibus occupatos, & *impensos*. Hæc verba resumit in post. more suo Libello; ubi stomachi undus pernegat se de Jesuitarum Antuerpiensium meritis non bene sensitse, aut incivilliter fuisse locutum: *Cum non eos (inquit) contumelijs affecerim, ... sed potius vocaverim doctos, probos, pios, &c.*

18. Vo. alii quidem, vir circumspectissime, doctos, probos, &c.: sed ut ostenderes de te locutum, qui dixit, *Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio*; atque ut exemplo tuo comprobares, frigidum & candidam, juxta veterem Apologum, ex uno & eod. more prodire. Vocasti: sed proximè antè per contemptum vocaveras *nubeculas vespertinas, & crepus-*

Conflict.
num. 91.

Jacob. c. 3.

pufculinas, splendori Solis officere frustra nitentes. Vocasti semel: sed saepe saepius antea vocaveras Zoylos, sapientum virorum iugillatores, antiquitatem spernentes, auctoritatem calcantes, traditiones respuentes, scripturas cassantes, diplomata vitiantes, sapientum hominum mentes vexantes, torquentes, conturbantes; & alij: insuper scommatis, laedorijs, sannis, quæ verbis tuis hactenus exscripti, liberaliter cummulaveras. Hæc iudicio tuo incivilia non sunt, nihilque continent contumeliæ? Num nos utique adeo fatuos existimas, ut credamus te serio, ac non potius irridendo loqui, dum eos, qui te Iudice antiquitatem spernunt, auctoritatem calcant, traditiones respuunt, diplomata vitiant, vocas deinde viros probos, pios, modestos, de Ecclesiâ, deque Republicâ litterariâ optimè meritos? Ut sodalis tui phrasi utar perpulchrâ, *Hos mihi liga funes*. Nullo certè ne levi quidem iudicio te dicta indicta velle significasti: sed tibi iusto Iudici ratum est illud Pilati, *Quod scripsi, scripsi*. At idcirco, inquis, exceptionem posui *nimia critica*. Sed videtur ne tibi, Iudex exquisitè, *nimirum tantummodo*, nec omnino detestanda critica, quæ antiquitatem, auctoritatem, traditiones, scripturas, diplomata, vitiat, respuat, spernit, calcet? Cohæret ne critica ista cum probitate, pietate, modestiâ, meritisque optimis in Ecclesiam, & Rempubicam litterariam? Iterum cum sodali tuo, *Hos mihi liga funes*. Verùm tu ipse laudationem hancce reapse non esse demonstras, dum postea in viros paulò antè laudatos garrire non desinis.

*Auth. Colum-
bæ. num. 6. in
Appendic.*

19. Obitâ enim utcumque vice tuâ de priore Pinij Notulâ propulsandâ, nequid prurienti loquacitati maneat intractum, in provinciam sodali tuo *Anticrisieor* Auctori demandatam involas: & statim num. 18. sic insolenter faris: *De hac* secundâ notâ nihil dicere statueram. Adeo enim mihi levis, futilis, vana, & despicibilis est, ut non seriâ refutatione, sicut primâ, sed risu, & joco digna existimetur. Quis enim, non rideat Criticorum utque adeo serupulosam conscientiam, atque Ethicam, ut Hospitiæ hujus famæ, & opinionis causam agant, Sanctitatis Bernardi, & auctoritatis Guillelmi non agant? Illius dispendium remurmuret illis; istorum jactura non remordeat? Pejoris, ecce, conditionis illis est hominum virorum probata vita, quam illius bonæ famæ opinio, & fama. O! Criticorum bona, ac benè sedata conscientia! O! Ethica! O! Charitas! O! pietas! Ut criminosa mulieris famam fervent, Sanctorum gloriæ crimen in, ferre non dubitant. Hinc ad jocos excutris ineptissimos, & Antuerpienses hortaris, ut, quoniam ipsis mos, tempus, genius, & otium est cuncta perferutandi, diligenter inquireant in familiam & hæredis foeminae à Bernardo infamatae, quæ, quia indotata, fortassis inapta mansit; ut se licet Cisterciensis Ordo debitum à Parente Bernardo contractum hæredibus bonæ foeminae modo persolvat. Sic & non antè Pinianæ Annotationi respondes, quam non nisi amaro joco, vel jocosâ amaritudine dignam, ideoque penitus despicendam esse pronuntias.

20 Pace tuâ, vir lepi tissime. Nihil ineptius cogitare potuisti, nihil infulsius, alienumvè magis ab homine sensato, si modo (quod de

Ephes. 5.

de te ex dicendis non temere veritur in dubium) latinè novit. Hic profectò subjecta est oculis, reprehensa ab Apostolo, *Scurritas, quæ ad rem non pertinet*. Agitur de honore Bernardi, & qualiter excusari queat à peccato lethali, si Guillelmi narratio vera sit, anxie quæritur; & tu logicus, quam logicus, quæstionem præteris intactam; narrationem Guillelmi veram esse supponis; quod quæstionis est, pro confesso accipis, & inconcusso; spretaque vel ipsâ Logicâ naturali, scurriliter excurris in dorem & famam foeminae peccatricis. O! Judicem Areopago dignum! Si ergo apud te in Confessionali sedentem Bernardus alter se se accuset, sciupulo tactus, de revelato sine causâ *Matronæ cujusdam* occulto crimine, tu cachinnum ipsi pro poenitentia injungeres, & dum ille genu flexo, & tuncione pectoris absolutionem expectaret, risu tibi rumperes ilia. Consulere saltem debueras honori sodalis tui Authoris *Anticriseos*, quocum tibi hoc tempore (quidquid sit de superioribus annis) mirifice convenit, *erat nunc dignus amari*: hunc enim joculari tuâ Pinianæ Notulæ solutione ridendum omnibus proponis, quod seriam, prolixamque lucubrationem ejusdem Notulæ difficultati totis enodandæ viribus impenderit.

21. Post hæc doles num. 22. fatalem ac tristem Bernardi sortem, apud Criticos istos Antuerpienses. *Nam in primo casu*, inquis, *quia non loquitur, taxatur, & taxatur in secundo, quia loquitur ... Si leat, dormiat, clamet, vigilet, cuncta displicent. Quis non doleat Bernardi vicem! Nec ei tacere, nec loqui permittitur. Quid faciat, ut Criticis istis non displiceat, &c. Et quid, si vice versa, ubi tacuit, loqueretur, & ubi locutus est, tacuisset? Timeo de istorum malè moratâ Criticâ, nec sic placiturum. Quid ergo eis placeret? Neutrum puto.*

22. Eâdem chordâ obreras, vir bone, & iterum atque iterum in Logicam peccas naturalem. Non displicet Criticis Bernardus: sed potius quia plurimum placet, idcirco vehementer displicet narratio, quæ puritatem & sanctitatem ejus tantisper obnubilaret, si vera esset, displicet, ac displicebit omnibus distorta intelligentia tua, qua verum obsequium & amorem Bernardi, displicentiam interpretari non dubitas. Displicet & petulantia, qua malè moratam appellas criticam, Melliflui Parentis tui tantoperè studiosam. Sed edic, precor, quomodo ista cohereant cum elogio, quo in Appendicis Libelli tui extrema lineâ decoras Antuerpienses Criticos, dum eos asseris *Dofiori Mellifluis additissimos*. Numquid Bernardo possunt esse additissimi, quibus Bernardi cuncta displicent? Vix me contineo, quin testis adoptem sodalis tui lepidam phrasim, *Hos mihi liga funes*. Ab hac tamen inconsequentia notâ facile apud me liber eris; modo fatearis ingenuè (quod verum esse nullus dubito), Appendicem Libello tuo additam de cultu publico Sanctæ Humbelinæ, Authorem habere te modestiorem: parergon quippe illud alterius esse opus Artificis palam ostendit, cum styli diversitas, tum quæ mihi elucet, prorsus abhorrens ab ingenio tuo, comitas, & urbanitas.

23. Denique Libellum tuum bonus Asceta claudis his verbis: *Jam quid Criticis istis in Bernardo displiceat, vidimus. Vultis scire,*

,, Cla-

„ Clarissimi lectores, quid in illis Bernardo placeret? Audacter dicam.
 „ Placeret quod & nobis. Copiosior videlicet ad Deum oratio, & de
 „ plurimis silentium; nam silentium à plurimis, præcipuè Criticis lo-
 „ num est.

24. Scilicet devoto, & orationis studio Monacho quispiam in aurem insuffuravit, quot horas diu noctuvè orationi vacent; aut non vacent, Antuerpienses Critici. Certè nullas impendunt ludo charitularum. Bene verò, quòd silentij suavor est; & audacter quidem, homo loquacissimus. Nam silentium omni procùl dubio præcipuè in Criticis optandum; tum ut cuius libera maneat facultas fabulandi; tum ne quid obstrepat plurimorum, qui fabellis indormire gaudent, placidissimo somno. Proh! Quàm dignum litterato Monacho votum! Hæc, tamen longiuscula, & inamæna satis, extrahere placuit è prædicto Libello, ut ejus dictionis sub oculos positus, faciliùs dijudicare valeant Lectores mei, utrùm Anonymus, de quo statim, merus primusque fuerit provocator? an verò non nisi provocatus provocaverit? Et an in Jesuitas Bollandiani Operis Continuatores nulla præceserit injuria, nulla satyra, contumelia nulla.

S. IV.

ANONYMUS BOLLANDISTARUM VINDEX QUID COMMISERIT,

¶ quas dederit pœnas.

25. **A**uthoris Judicij dicacitate & insolentiâ irritatus, nescio quis Presbyter Anonymus, calamum strinxit arrogantiam hominis compressurus: & Bollandistarum vindicem se propriâ autoritate constituens, Libellum edidit sub titulo, *Litteræ Apologeticæ cujusdam Presbyteri ad humilem quemdam Monachum Cisterciensem, &c.* Anonymus hic, non prorsus ineruditus, nec inelegans, audax tamen, intrepidus, & indignabundus, stylo acri & aculeato repellere connixus est quidquid in Judicio, & Anticrisi adversus Pintavas Annotationes deductum invenit: Authores utriusque Libelli asperè depexit, lupinitatis insinulavit, & RR. PP. Benedictinis irridendos dedit, vel proposuit irrisos: præcipuè verò exarsit in Authorem Judicij, cujus in Bollandistas dictionis & scommata repulit fortiter magis, quam suaviter. Ut verò importunam illam compesceret jactantiam: *Cistercienses, nisi lacessiti, tacemus, Eremitis abditi, Choris intenti, nullis Molesti, Modesti omnibus*: in hæc verba prorupit: Magna scilicet Cisterciensium laus, quòd nisi lacessiti tacent: hoc & ethnici faciunt: tacere lacessitos hæc laus est; hoc ethnici non faciunt, sed boni Christiani. De cetero, quòd Eremitis sitis abditi, Choris intenti, de te salutem, & alios non paucis constanter nego: norunt enim te Salmantini, & Madritenses cautes manè, ac vespere, norunt plateæ, norunt Vici omnes. Illud *Choris intenti*, debet intelligi, *exceptis Magistris nostris*. Quod nullis sitis Molesti, nescio quo ore dicis, cum turbaveritis iniquâ regendi, atque crumenas ditandi avaritiâ Ecclesiasticas, ac Sæculares Curias, Cœnobias, Domos, Hispaniam, Italiam, Orbem univerſum. Et hæc item est vestra modestia. Nec de omnibus, etiam si tu parità, vobis loquor, sed de *perplurimis*. Hactenus Anonymus ille: cujus exprobratio dissidiorum Cisterciensibus

bus Hispanicæ Congregationis in communi facta, & refrenatio vulneris; tamen nonissimi, citra dubium injuriola fuit, plenaque rusticitatis, audaciæ, irreverentiæ, contumeliæ.

26. Sed fortalè duorum iram Adversariorum magis accendit, quòd Anonymus factum illud, Bernardo attributum, & a Pinto notatum, de foemina è lecto non repulsâ, sed pacificè accubare permittâ, dicere non dubitavit, si vendicaretur ut innoxium, affine, ac favorabile videri posse damnatis erroribus Michaelis de Moinos; atque in exemplum adduxit turpissimi hujus Hæresiarchæ propositiones duas, nempe 17., & 37. inter proscriptas ab Innocentio XI. Id quod non eâ mente protulit Anonymus, ut tantæ suspitione scditatis verum Bernardi factum inumbraret, sed ut factum hujuscemodi falsum omninò diceret, longiusque averteret à puritate Bernardi; & hac in re incredibile esse Guillelmi narrationem evinceret efficacius: qui sensus Anonymi adèdè perpicuus atque evidens est, ut nemo rationis particeps, & latinicitatis utcumque gnarus, aliter ejus verba interpretari ullo modo queat. Mirum proinde, quòd hac de causâ blasphemus in Bernardum asseratur Anonymus. Biographum quod attinet, censuit Anonymus haudquaquam injurium fore viro tanto, qui dixerit falsum aliquid ab eo fuisse narratum bonâ fide, & errore inculpabili. Sed insuper, ut omninò sartam tectamque servaret auctoritatem viri venerabilis, duas illas à Pinto notas narratiunculas hæreticorum fraude intrusas in Guillelmi textum aut seridè credidit, aut honoris causâ credere visus est.

27. Hucusque totum Anonymi crimen, totusvè crimium acervus, à me non dissimulante expositus: nam quòd Cisterciensis appellaverit ebrios, aut mures, impostura est, ut *Litteras ejus Apologeticas* inspicienti liquidum erit. Talia commisit deformis ille Poliphemus:

*Haud impunè quidem, nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.*

Virg.

Talia patienter tolerare qui posset vel *Judicij*, vel *Anticrisis* Author? Uterque senex, sed uterque præfervidus, uterque bellicosus, uterque veteranus miles civili bello induratus, & hoc nomine apud suos jam pridè insignis? Diceres de infortunato Anonymo loquutum olim Silium Italicum:

*Ultrix hora vocat: pariter tunc undique fustis
Obruitur telis, nimboque ruente per auras
Contestus, nulli dextrâ jactare reliquit
Presbyterum cecidisse suâ.*

Irruit igitur super utrumque senem, spiritus Domini, an Pythonicus? & ambo juvenili ardore, magnoque impetu in Anonymum insilientes, miserum obruere, discerpere, pinfere, tundere, & in pulverem redigere minutissimum. Heroicum id facinus duobus alijs peractum est Libellis: quorum alter inscribitur *Prima Columba veritatis* (hujus Author idem, qui & *Anticrisos*, ut ipse testatur, & per se patet): alter articulatur *Confessus spectabilis humilis provocati cum superbo provocante*: hujus Patrem se jactat Author *Judicij*; nec certè fallit quantum ad membræ quædam. An tamen hybrida sit proles; non temerè dubitatur. Sunt, qui dicant, racemum heterogenis confertum acinis, non esse
anius

unius vitis aut palmitis fructum, sed aliquâ sui parte sapere palmicem alterius vineæ, qui nonnumquam expectatus est ut faceret uvas, f. cit autem labruscas. Ut ut sit, utriusque Libelli Authores inuisum Anonymum omni telorum genere conficere non cessarunt, donec tota convitiatorum, & probrocorum pharetra videretur exhausta.

28. Anonymum illum esse Jesuitam, utriusque Monacho libuit pro comperto habere, nullo quidem indicio, nullâ veri specie, sed tamen sic libuit, sic placuit, summa fuit pro ratione voluntas. Præsumptivus ergo Jesuita miris ab utroque Monacho adornatur encomijs. Et imprimis à *Columbæ Parente* insignitur nomine *Suis volutabro immeris*, & *raucè grunnientis*, qui è *sterquilinio surgit rabido furore coccus*, & *ventilans cornibus suis omnem pudorem*, (grandia proculdubio cornuæ Sues habent), *christianamque verecundiam*: Prædicatur deindè *barbarus*, *infans*, *stultus*, *solidus Presbyter*, *impudiloquus Presbyter*, *inopis mentis*, *auceps turpissimus*, *hystrix crudelis in volutabro furias effatians*, *nyctiorax*, *vilis pella*, *qui Salmanticam solùm vidit*, *sicut Equus & Mulus salmantinum hordeum comedentes*. Hæc pauca de multis.

29. Author verò *Confictus spectabilis* non minùs est prodigus eloquiorum: apud ipsum etenim existimatus Jesuita passim audit *protervus*, *illiteratus*, *nequam*, *impius*, *blasphemus*, *errans errore theologico*, & *hæretico*, *impudens*, *impudenter scribens*, *discolus*, *igne castigandus*, *Deum non timens*, *judicia Dei non adorans*, *spernens miracula*, *spernens impiè sanctitatem Bernardi*, *Claram-vallem turbans blasphemij*, *Herodes*, *innocentia persecutor*, *vir spurcius*, *gethæum*, *de genere Enacim*, *Typus Goliath*, *scopbanta*, *versipellis*, *Sinonem græcum superans dolo ac fraude*, *populum barbarum à remibus emines*, *hystrio*, *ludio*, *larva*, *spectrum*, *phantasma*, *sodalis* & *compotator aurigarum*, *despicibilis*, *contemptibilis*, *insultandus pavidis leporibus*, & quia sterilis videbatur lingua latina, *Farfanton*, *Baladron desvergonxado*. Quid plura? Ne tadium supra modum creem honesto lectori, pluribus abstinco. Temerarium Anonymum! incautum! improvidum! Quis te fascinavit? Nonne vidisti, & advertisti verba illa minacia, *Cistercienses*, *nisi lacefisti*, *tacemus*? Verba, inquam, plurimo ac terribili fulmine prægnantia, quorum tempestas, non utique ex innocuis nubeculis vespertinis, aut crepusculinis concrefcens, sed ex ignea, densa, & opacâ nube conturgens, jam jam impendebat ingenti tonatura fragore, simul ac pro Antuerpiensibus auferet musitare quispian? Meritas ergo pœnas luito.

S. V.

MALEDICENTIA COLUMBÆ IN JESUITAS ANTUERPIENSES.

29. **N**ON multò mitiora sunt, quæ in Pinium, & Socios Antuerpienses convicia congerunt iisdem posterioribus Libellis ambo Monachi: quasi Scriptores illi subornatum Anonymum è Belgio in Hispaniam misissent, qui suo ipsorum nomine Cisterciensibus insultaret. Authoris *Columbæ* verba sunt, quæ sequuntur. Num. 1. *Irrationabilibus Notulis tui Pinij*. Num. 13., ergo nimis falsa, & ridicula est *crisis Pinij* postio: ibid., igitur *crisis Pinij*, & *Censorum* audacter *fallaciterque apposta omnino est*, & *sine timore*, in quo initium sapientiæ con-

conficit. Num. 19., invehimur rationabiliter contra irrationalem; & impijssimam crism Pinij audacter S. P. N. Bernardi verbis temere & sponte appositam, sine ullâ proorsu ratione. Num. 21., effera calliditas Criticorum. Num. 24., ut temerè suspicatus est præceps Pinius. Num. 30., ubi magis mirandus, ibi à Pinio castigatus Bernardus. Non potuit digniùs excipi blateronis alicujus hæretici maligna, & inveteranda crisis. At quid spes à mente imperità, & animo ingrato, cui dominatur iracundia?

30. Audi conicna. Num. 37., *attamen solis Presbyteris (de Antuerpiensibus loquitur) congruit obmutescere in bonis mirandis, & clamare in castigandis, ut eis visum est; quod officium Corroforum, non Correctorum est. Solis Presbyteris sufficit officium correctoris; corroforis potiùs. Num. 38., ergo et idens est contra Pinium & Censeres inconsequentia; sicut est evidens supradictas crises voluntariè, & sine ullo vel levi fundamento appetitas fuisse. Non è sibi consonat vir Columbinus? Quod ait de officio corroforis, cui congruit obmutescere in bonis mirandis, idè inculcat bonus Monachus, quia queritur non laudari à Pinio S. Bernardum in ijs, quæ manifestè sunt laudabilia, sed castigari tantùm, dum aliquid apparet difficile. Verùm cœcutiat oportet præ senectute Monachus iste; quippe qui non videt, subtilissimum Pinij Commentarium prævium grandibus scaterere gestorum atque virtutum S. Bernardi laudibus, & encomijs. Fortè desiderat devotus senex ad singulas Guillelmi periodos concionem Pinij panegyricam.*

31. Sed adhuc in *Appendiculo Columbæ* addito: *Non est, inquit, negandum invenisse (Bollandistas) quandam œconomicam Theologiam, scientiamque potiùs rationi statùs commedam, quàm amoris veritatis. Ideo apud ipsos amica veritas; sed magis amicus Plato. Probat hoc ibi exemplo quodam ex Papebrochio; quo miseram, quæ ipse laborat, eruditionis pauperiem incautè prodiit. Alicubi dixit obiter Papebrochius, item inter Malsilenses & Vezeliacenses de corpore S. Mariæ Magdaleneæ faciliè compositum iri, si admittatur opinio, quæ Mariam Magdalenam, Christum ex Galilæa secutam, distinguit à Mariâ Bethanicâ, Lazari ac Marthæ sorore. Opinionem hanc non discussit ibi Papebrochius; nec locus erat discutiendi. Sed quàm sit probabilis tum à ratione, tum ab autoritate Patrum, quàmque plausibiliter defendatur à multis, Ecclesiâ sciente, nec prohibente, si nescit bonus Monachus, suam doleat eruditionis inopiam, & nugari desinat, ac blasphemare quod ignorat. Præstaret ipsi Grammaticam discere, ne pro *Appendicula* poneret *Appendiculum*.*

32. Ibidem num. 6. obedientissimus homo, silentium à Sancta Inquisitione impostum Hispanis omnibus, præsertim anonymis, plane contemnens, controversiam renovat de stirpe Guzmanicâ S. Dominici, & argumenta magnificat robore vacua: ut hinc arreptâ occasione Bollandistis exprobrat, quòd ultionis impetu ferantur, quòd eorum scientia sit *amphibia*, & sibi non constans; quòd *nullo effectu invehantur in rebus Hispaniæ, & maxime Dominicanis, sed quodam impetu insiti conatus, etsi non prænoti, promoti tamen: illis sæpè dissonat quiddam ad tantam Hispaniæ consonat. In te sequ. num. 7. intere, de Bollandistis proloquium illud, Amicus Plato, sed magis amica veritas, sub imperio*

voluntatis concedendum, impulsu rationis negandum. Quam opportuna hæc ad vindicandum Guillelmi textum de casu *Hospitæ* ! Sed vetus indoctorum consuetudo est, ut, cum aliud a morum genus vescare nesciant, convitijs depugnent, & injurijs. Quam bene sunt meriti de rebus Hispanicis Jesuitæ Antuerpienses, norunt, & prædicant Hispani eruditi. Quam item bene de rebus Dominicanis, nec ignorant, nec dissimulant Ordinis Prædicatorum viri doctissimi. Videatur inter alios eruditus Echard in Præfat. ad tom. 1. de *Scriptor. Ord. Prædic.*

33. Denique *Columba* campestris censuram exprobrat olim à Sanctâ Inquisitione Hispanicâ latam contra Libros Henschenij, & Papebrochij; additque, *se nondum vidisse eos exire cum palmis*. Ut verò fortius aggraveret Librorum censuram, & condemnationem Hispanicam, fidenter asserit approbatam & roboratam fuisse à Summo Pontifice Innocentio XII. Litteris Apostolicis, quarum designat annum, mensem, diem. Sed in hoc hallucinationem patitur insignem, qua Romanam prohibitionem secundæ Partis *Conatus ad Chronol. Pontif.* imperitè confundit cum Hispanicâ damnatione tomorum quatuordecim. Quod ut agnoscat bonus Monachus, animadvertere sat est, condemnationem illam solâ Inquisitionis Hispanicæ autoritate fuisse postmodum revocatam. Putatne doctus Monachus, condemnationem doctrinæ, Apostolicâ autoritate roboratam, inconsulto Summo Pontifice revocari posse? Patitur nè *columbaria* Theologia, ut Sedis Apostolicæ sententia, & condemnatio in materiâ doctrinæ, sit aliquando reformabilis? Monachus ipse refert, condemnatos fuisse Libros illos, *utpotè continentes propositiones scandalosas, piarum aurium offensivas, sapientes hæresim, &c.* Si ergo condemnatio ista, per Apostolicam Sedem a loptata, & roborata, revocari potuit; sperandum erit bono Monacho fore, ut aliquando censurâ solvantur propositiones omnes à Summis Pontificibus proscriptæ, tamquam *scandalosæ, sapientes hæresim, &c.*, & Catholicum Orbem inoffenso pede percurrant. Quod Libros Henschenij & Papebrochij, severissimis antea censuris prohibitos, *nondum viderit exire cum palmis*, non est cur miretur bonus vir, cujus oculi senio & passione caligant. Vidit saltem Hispania universa decretum supremi Senatûs Inquisitionis afixum locis publicis per mensem integrum; quo de prægrandibus Tomis quatuordecim, antea damnatis, publicæ luci restituti sunt septem omninò liberi, & iilibati; reliqui verò septem, detractis quibusdam navis, admodum paucis ad tot tantæque molis corpora comparatis, ab omni censurâ theologicâ prodierunt immunes. Quodnam aliud palmarum genus in libris desiderat, bone vir, tua non tam simplex *Columba*, quam improba *Cornix*? Sed jam satis de ineptijs, quas in Antuerpienses immurmurat sine felle *Columba* mitissima.

S. VI.

ADVERSUS EOSDEM ANTUERPIENSES MALEDICENTIA

Conspectus.

34. **M**onachus alter, præter ea, quæ in Antuerpienses occidit in suo *Judicij* Libello, hæc insuper ipsis elogia pangit in *Conspectu*. Num. 25. de Antuerpiensi editione Actorum S.

Bernardi sic fatur : *Firmiter infero : Editionem , etiam omiſſis Notis (has pauio ante vocaverat ſcandalofas) fortè non utiliorem ſua carentiâ ; ſumptus exaggeratos , in proprium lucrum converſos ; exemplum ironica gratitudinis , ab eis ignominioſe datum , & in eos retortum , cum ſpecie quadam felonis , & ſycophantiæ , & certiffimæ proditionis ; nam accepto pretio Notas poſuerunt , & contumeliâ vendiderunt . O ! Fini , vel quiſquis ille fuit , qui eas addidit , non te de Argolica gente negabo !* Sic loquitur Cifterciensis Monachus Hiſpanus de Opere magnis curis in gloriam & laudem Doctoris Mellifui , atque in honorem Cifterciensis Ordinis elaborato . Non ita judicant ex alijs Nationibus æqui rerum æſtimatores extra & intra Ciftercium : nec *ſcandalofas* , aut *furtim & proditionè* additas cenſent Annotationes , quæ , cum in Editione grandioris Tomi non occuſſent , in ſubſequenti palam & ingenuè ponuntur , in publicam lucem deſtinantur , & in obſequium S. Bernardi maniſſimè cedant . Inſeices Eruditorum labores , ſi à ſolis æſtimandi eſſent ingratis , vel ſi de illis ſoli judicaret ineruditi , & ſententiam ferrent violenti & intemperantis animi Judices !

35. Antè num. 18. declamaverat in Antuerpienſes , quòd per deos annos integros non reſponderint Cifterciensibus , quos dicit illis ſcripſiſſe pro S. Humbelinæ cultu ; nec item reſponſum dederint Cifterciensibus cuidam Profeſſori Theologiæ Salmantino , qui & illis , inquit , ſcripſit ſuper novitate & levitate Notarum , & quidem epistolam latinam reſponſione dignam . Sed ſiſte precor , iracunde Monache , *confidationis* impetum . Antuerpienſes , ſi à vobis miſſa documenta , quæ pro cultu S. Humbelinæ deſiderabant , acceperunt , reſponſum reddent opportuno tempore , videlicet in Supplemento Operis , ut promittunt , vel in decuſu cum ſe ſe dederit occasio ; non enim ab eis exigenda eſt impertuna hujus Sanctæ commemoratio loco non ſuo . Epistolam verò Profeſſoris Salmanticensis ſuper levitate Notarum , ſi fortè ſcripta eſt ſtylo , quo uteris ipſe , levi , & procaci , non facile perſuadebis fuiſſe reſponſione dignam . Sed qualiſcumque fuerit , re ipſâ non pervenit Antuerpiam : qua de re teſtes habeo Litteras R. P. Joannis P. nij datas 10. Januarij currentis anni 1744. , quibus reſpondet Hiſpano cuidam , à quo primam de querelis veſtris notitiam acceperat : reſpondet autem Hiſpanico idiomate per hæc verba , *Viva V. mil años por haverme dado noticia de la diſputa con los PP. Bernardos ſobre las dos Notas mias , de que yo no ſabia nada.*

36. Idem Monachus num. 83. iterum præpoſterâ intelligentiâ verum Bernardi obſequium interpretatur injuriam , & multis invehit in Authorem Notarum , quaſi pravæ mulieri faventem , cum ſtare deberet pro Sanctitate & honore Bernardi ; ac deindè ſubjungit : *Postulat hoc pietas , religio , ratio . Quodſi aliter Critica , aiter Critici poſtulent , & doceant , ridenda Critica , ridendi Critici , & ridendi atque ſperandi eorum fautores , & ridiculi deſenſores .* Num. 84. repræſentat Pinum , quaſi oblitum Sanctitatis Bernardi , totumque ſollicitum de famâ præſtitæ mulierculæ : atque ita pergit : *Nonne hæc dementiæ potiùs ſpecies eſt , quàm Critica , vel ſi Critica , Critica dementis , atque adeo ridenda ? Nemo latis miretur , quali judicio , quali polleat lenis com-*

muni Monachus iste ; qui omnia , quæ legit , inversè ac transversè concipit ; & cui sollicitudo removendi navos à Sanctitate Bernardi , oblivionem sonat ejusdem Sanctitatis.

37. Num. 85. & 86. comparationem instituit inter casum hospitz Bernardum provocantis , & fabellam quamdam in historiâ Quixoticâ de impudicâ fæminâ confictam : quam comparationem , velut ad irridendum Pinium aptissimam , latè versat , ac de jocis , & sale plurimum sibi plaudit : incautus tamen , nec satis advertens , à se tacitè comparari Acta S. Bernardi cum gestis Quixoti *de la Mancha* , & veracitatem V. Guillelmi cum veritate Scriptoris Fabulam deditâ operâ concinnantis. Sed quid facias homini leni , qui conspicijlijs utitur omnia repræsentantibus inversa , nec minùs mente , quam pedibus claudicat ?

38. Num. 92. profusâ verbositate vituperat eorum vitia , qui contra sententiâ Apostoli plus volunt sapere , quàm oportet : ac deinde vitia hæc attribuit Antuerpiensibus , quos , inquit , *seduxit , non sobria Critica , sed nimia Critica , quæ sobria non est , nec sobrios facit ; illa quæ non est indagatrix veritatis , sed vanitatis , & germana soror nimia curiositatis , quæ vana , futilia , aliquoties nocentia , nunquam utilia querit*. Quam idoneus censor Criticorum , qui ne summis quidem attingit labris Artem criticam , nec nomen ipsum *Critices* ultimatè novit !

39. Num. 93. asserere non dubitat , quòd *totus ferè Mundus querulus est de nimia Critica horum Virorum*. Ibidem satis imperitè memorat Scriptores , qui colligendis Sanctorum Actis olim insudarunt. Et statim addit seq. num. 94. , quòd *postquam istud opus (de Actis Ss.) ad Jesuitas Antuerpienses devenit , nullus quiescit , nulli pax , nullus non queritur. Queritur Antiquitas. Queritur Autoritas. Queritur Traditio. Queruntur Lapidis. Queruntur Inscriptiones. Queruntur Scripturæ. Queruntur Monumenta. Queruntur Numismata. Queruntur Diplomata. Queruntur Ecclesiæ. Queruntur Religiones. Queruntur Civitates. Queruntur Provincia. Queruntur Regna , præcipuè hoc nostrum queritur Hispaniæ Regnum , multis ab his Patribus , sed casto labore (sicut in omnibus alijs) impetitur*. Subdit num. sequ. : *Alij quod velint , dicant. Ego solum nimiam Criticam , omnibus vobis cognatam , vel congenitam assigno. Hoc meum judicium , nec spernendum ; nam aliqui , nec mitius , nec tam præ judicant*. Subjungit : *Steti promissis , quibus plura de Criticis in specie sponendi dicturum*.

40. Quàm verultè repuerascit Monachus senex , juventâ nitidus , nullasque rugas præferens diurnâ Chori , & Eremiti habitatione contractas ! Novitius in senectute rhetor , quid lentiat ipse , quid alijs. ui similes , eleganter occentat. Partem pro toto rhetoricè sumit per synecdochem ; & imperitorum avitis fabellis mordicùs adherentium multitudinem , quæ semper magna Mundi pars est , pro toto accipit Mundo ; ut Mundum totum de Boliandistis querulum inducat in scenam. Auritum se præstat ad querelas nugantium : sed ad voces Eruditorum , quantumvis a te retonantes . Monachus noster præ lenio surdaster evasit. Antuerpienses tamen honorat infcius , & nolens , cum tot in eos

querimonias undique pullulantes exaggerat. Nihil ferè ab Antuerpiensibus in re historica vel negatur, vel vocatur in dubium, quod non pariter aut falsum, aut incertum sit Eruditis alijs bene catholicis, & passim laudatis. Si ergo in solos Antuerpienses undequaque personam querulorum clamores, magna sit oportet eorum auctoritas; quippe quæ sola credulis facessit negotium, dum pro nihilo habetur Critice reliquorum.

41. In rebus Hispanicis certissimum est nihil Antuerpiensibus improbari, nisi quod improbant ex Hispaniâ ipsâ illustriores Critici multò durius, multò vehementius. Rejiciunt quidem Antuerpienses, aut contemnunt spectra quedam historica, id est, pseudo-Chronica Dextri, Luitprandi, Juliani Perez, M. Maximi, Brautonis, Hauberti Hispanensis, Liberati, Gregorij Granatensis, &c. quæ Historiam Hispaniæ, præsertim Ecclesiasticam, jam à seculisæculo conturbant, & fædè contaminant. Verùm in his explodendis consentientes habent primò sublilij Criticos Hispanos: quos inter eminent Marchio de Mondexar, Nicolaus Antonius, Cardinalis Aguirre, Josephus Pellicer, & moderniores alij, nominatim Hyacinthus Segura Dominicanus in Opere Hispanico, cui titulus *Norte Critico*. Quæ autem vera sunt Hispaniæ decora, non respuunt, nec dissimulant Jesuitæ Antuerpienses, sed amplectuntur, & promovent totis viribus; v. g. dum agitur de S. Jacobi Apostoli ad Hispaniam advento; vel etiam de S. Ferdinando Rege, cujus Acta, quomodo nullus antea Scriptor Hispanus, collegit, & illustravit Papebrochius; atque inter alia prolixè & eruditè vindicavit, contra prætensiones Gallorum, S. Regis jus in Castellam hereditarium, historicè demonstrans, Berengariam S. Ferdinandi matrem, aded fuisse natu majorem sorore Blanca S. Ludovici parente, ut Blanca mater per ætatem esse potuerit. Est nè hoc Hispanorum gloriam hostiliter impetere?

42. Intererat sanè Hispanici gloriæ Cistercij, duos hosce nugaces Monachos coercuisse, ne contra Scriptores todo Orbe celebres, & ab Eruditis omnibus laudatos, tam insolenter blaterarent. Quid enim de hodiernâ litteraturâ Cisterciensium ex hoc specimine opinari poterunt Eruditi? Sed credo, sapientissimam Congregationem voluisse, nec potuisse pervicacibus frænum imponere. Dolebit illa proculdubio, quod utriusque Monacho tantisper memoriâ exciderit doctrina Parentis Bernardi: *Quo igne zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori scientiâ opus est, que zelum reprimat, ordinet charitatem. Doctrina quòque Nazanzeni: Absit, ut ita sentiamus, ac veluti equi feroces, & indomiti, ratione excussa, ac abjectâ pietate, quâ præclare comperiscimur, proci extra metam curramus, verùm finibus nostris disputationes nostras coerceamus.*

S. VII.

ABNORMIS, ET INCREDIBILIS MALEDICENTIA IN SOCIETATEM Jesu, & in Jesuitas universim.

43. **P**ROBRA, quantum vis injuriosa, hæc toleranda forsitan, & condonanda essent duobus Monachis irâ percitis, dummodò in unum aliquem, aut in paucos tantum & privatos furerent

Bernard.
Serm. 49. in
Gen.
Nac. orat. 1.
ad Theol.

Jesuitas. At ultra progressus est furoris impetus. Anonymus Presbyter, velut ære alieno gravatus, & solvendo impar, in latebras suas tanquam in asylum se recipiens, illicò disparuit, & creditorum reliquit arbitrio quidquid in bonis habebat honoris & famæ. Subhastata protinus bona illius omnia. Sed quomodò ista sufficerent creditoribus, quibus fixum erat centum pro uno exigere, imò decadas, hecatontadas, & myriadas centum? Quasi ergo pro Anonymo fidejussissent Jesuitæ universi, agendum fuit aduersus totam Jesu Societatem, ut vel proprii honoris, & totius famæ dispendio debitum cum usuris perolveret. Hac in re cautior, prudentiorque sodali suo Author *Columbe*, Jesuitam existimatam & Antuerpienses quantà potuit acrimonia protulit: Religioni tamen pepercit, minacibus contentus verbis, quibus Libello suo coronam imposuit: *Scire debet Presbyter, suam Religionem, esse privilegiatam, non tamen à verbis Domini agentis: Eadem mensurà in qua mensi fueritis, remetietur, & adjicietur vobis.* Hoc, opinor, non ideò dixit bonus Monachus, quòd ex illà sententià Domini licitum putet contumeliam pro contumelià rependere, calumniam pro calumnià. Verùm Author *Confilius* sele alicer gessit, & moræ omnis impatiens,

Immemor annorum, seniumque oblitus, in arma

Ille quidem crudà mente, & viridissimus iræ

Ibat: sed vanifrigentem in Marte senectam

Prodebant istus: stipulà crepitabat inani

Ignis iners, cassamque dabat sine robore flammam.

Sil. Ital.

Quò ibat? impotenter & effrenatè debaccharum in Societatem Jesu, & in Jesuitas generatim.

44. Non possum quin ante omnia spectatores invitem ad novam & mirabilem, quam Author *Confilius* apparat scenam, ut Jesuitarum mores, & trista fata representet Libelli sui num. 15. fingit, & gratis fingit, Cistercienses ab Anonymo vocatos esse *mures*: cumque forè legisset in Libro *Judith*, Bethulix incolas quondam ab Assyrijs eodem nomine fuisse vocatos, inde occasionem arripuit novum cudendi Sacræ *Judith* historix commentarium. Statuit scilicet, in Assyrijs Bethuliam obsidentibus graphicè præfiguratos fuisse Jesuitas; Bethulix autem incolas figuram gessisse Cisterciensium: illos nempe, qui prostrato Holo-
 ,, ferre, superbos Assyrios, elatos, vaniloquos, urbium spoliatores,
 ,, Provinciarum raptores, & expilatores, undique cornu ventilantes,
 ,, fugere compulerunt, & vix in suam Babylonem, relictis gazis, &
 ,, spolijs furto habitis, redire & intrare permiserunt. Tum continuò
 ,, subjungit: O! *mures*! O! felices Montium Bethulix incolæ! Vos
 ,, divinæ legis professores, & defensores, orationi dediti, jejunijs, &
 ,, cilicij macerati, ab Assyrijs contumelijs affecti, afflicti, & non su-
 ,, perati, optimè, & adamantissimè Monachorum Cisterciensium typum
 ,, & imaginem refertis. Vobis auge, & adoream canimus. P. audimus,
 ,, Gaudemus. Vicistis, & nos vincemus.

45. His dictis, pijsissimus Monachus, & egregius divinatorum voluminum Interpres, nihil moratus Tridentini Concilij decretum de non usurpandis Scripturæ Sacræ verbis aut sententijs ad detractio-
 nes, & Libellos famosos, protinus convertitur ad Jesuitas, quos
 ad-

adumbratos fuisse per Assyrios tam clarum censeo, ut exprimere supera
 vacuam sit; idèdque utrosque indiscriminatim alloquitur sequenti
 „ num. 16. dicens: *Et vos, O Assyrij, qui estis? Quos despicitis mu-*
 „ *res fugitis? Quorum vos imaginem & typum ferre dicemus? Sed quos*
 „ *adumbretis, exprimere superfluum. Vos superbi estis, vani estis,*
 „ *præsumptuosi estis, aliorum contemptores estis, expoliatores estis,*
 „ *raptores estis, denique bellum ob id tantum ceteris Nationibus in-*
 „ *didistis, quòd Nuntios vestros, & Emisarios vacuos, & sine ho-*
 „ *nore remiserunt; quia, cum non nisi honorem, pecunias, & di-*
 „ *vitias ambiatis, eos omnes inimicos habetis, qui non vos, & domos*
 „ *vestras repleant, & honorificent.*

46. Talia cum præmiserit encomia, pergit statim suavissimus
 Monachus figuratos in Assyrijs Jesuitas commonefacere, & Societa-
 tem Jesu designare nomine *Babylonis*, ejusque ruinam vaticinijs præ-
 „ dictam intumare per hæc verba: *Sed heu! Figurati Assyrij timete.*
 „ *Nè iterum Bethulianos mures despiciate. Nè iterum in Babylonem*
 „ *redite. Nam Babylon vestra cadet. Holofernes vester, Principis*
 „ *hujus Mundi typus, cecidit, & foras missus est. Timete, ne & vos*
 „ *aliquando cadatis, & mittamini foras; namque dies veniet (Hic*
 „ *illud Virgilianum:*

„ *Nescia mens hominum fati, sortisque futura,*

„ *Et servare modum rebus sublata secundis.)*

„ Namque dies, inquam, veniet, in quo Vvionis, & Sanctæ Hil-
 „ degardis vaticinium: sed ah! Præproperea excurrit oratio, ... & di-
 „ cenda prævenit. Hactenus pius noster Interpretes.

47. Non ego nunc cum Horatio dicam, *Spektatum admisi ri-*
sum teneatis amici. Dicam potius, Miserefcatis amici misello homini,
 Diris agitato, & quid dicat nescienti. Propterea namque commenta-
 rium suum non satis absolvit; neque explicuit, quisnam sit ille Nabu-
 chodonosor, qui figuratos Assyrios Holoferne ductore mittit ad ex-
 poliandum Nationes omnes: videtur enim esse Romanus Pontifex,
 Christi Vicarius, cui peculiari, & solemnè voto velut sacramento au-
 thorati sunt Jesuitæ, & à quo mittuntur in Mundum universum. Nec
 satis congruenter Holofernem fecit Principis hujus Mundi typum
 (quamquam non parvum est elogium Jesuitarum, quòd Princeps hu-
 jus Mundi, nempe Beelzebub Princeps Dæmoniorum, sit proprius
 eorum Dux, & militiæ Præfectus): consequentius enim, & con-
 gruentius novo commentario esse videtur, quòd Holofernes typum ge-
 rat Sancti Ignatij de Loyola, Jesuiticæ Militiæ ductoris, vel saltem
 Societatis Jesu Præpositi Generalis pro tempore existentis, cui, vel
 Sancto Ignatio, ebrietate sopito, ac profundè dormienti, caput absc-
 cidit Beatissima Virgo Deipara, in Judith clarissimè figurata.

48. Nonnihil etiam claudicat commentarius in allegando Sanctæ
 Hildegardis, & Vvionis vaticinio: si enim Jesu Societas est Baby-
 lon, ruina ejus certius asserenda esset ex plurimis Testamenti Veteris
 prophetijs canonicis, necnon ex verbis Angeli Apocal. 14. rotundè
 dicentis: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornica-*
tionis suæ potavit omnes Gentes: & iterum cap. 18. : Cecidit, cecidit Ba-

Babylon magna, & facta est habitatio Demoniolorum, & custodia omnis spiritus immundi. Debuerat etiam adnotari, quod Apocal. cap. 17. *Babylon ista dicitur Meretrix magna, mater fornicationum, & abominationum terræ, ebriaque de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu:* que omnia sine ambiguitate conveniunt aptissimè Societati Jesu Altrici & Matri Jesuitarum. En, quod præcipitem egit incautum Monachum, & Monachum Cisterciensem, impetus iracundiæ! Talia retulisse, horrore licet reluctante, retulisse est.

49. His miseriè concinunt, quæ autè, & post, de Jesuitis enuntiat vir mitissimus. Num. 12. Libelli sui, virtutes commendat Cisterciensium, v. g. quod sunt *Ecclesie proficientes, proximos adjuvantes, elemosynas largientes*; & continuò removel à Cisterciensibus vitia, quæ „ Jesuitarum vult esse propria, subdens, *non bonæ sæcularium cupientes, non possessiones ambitiosè ementes, & occupantes, non hæreditates subripientes, uti malivè testantium volant. ites aut arte, aut fraude, & dolo trahentes ad sua commoda, & à confectis retractantes, non Tempa luxuriosè nimis ornantes, non Domos amplissimas, Turres superbas, Solaria (vulgò Galerias) Civitatibus prominentia, speculationi potius, quàm recreationi deservientia, erigentes, & sine ædificatione ædificantes.* Fastis ista, mi frater, fastidis; nam tibi, & tuis non quæ solitudinis, sed quæ Societatis sunt, placent, & arident.

50. Vitia hæc omnia Jesuitis inesse, quis ambigat? cùm id testetur luculenter homo veracissimus, & tantum non, ut Guillelmus alter, infallibilis? Quod ad virtutes attinet, Cistercienses longè præcellere Jesuitis in proficiendo Ecclesie, in adjuvando proximo, & in erogando elemosynas, res est non incuriosè observanda, & potè recondita, nec vulgo nota. Quod Jesuitæ sint hæredipetæ, doloque, & fraude Testamenta captantes, non à semetipso dicit bonus Monachus, sed bonâ fide accepit à *Theatro Jesuitico*, cujus cineres velut sacras Reliquias religiose colit.

51. Num. 19. cùm retulisset Anonymi dictum: *Probra tua, uni tibi nocentia, omnes stocci facinus, omnes spuimus*: hoc Monachus accipit quasi dictum de priorè Libello suo *Judicium*, eo ipso tacitè fassus, Libellum illum mera esse probra, & nihil aliud. Nihilominus, quasi Libellus idem miram contineat veritatem, sic ad Jesuitas ait: „ *Fateor*, vos omnes meritò spuuisse, & quasi necessario spuere debere... „ Libellus meus ob veritates, quas continet, haud facile vobis deglutendus, quin os, guttur, ventrem vestrum, inò ossa, & membra nullas amarefcere faciat. Rationem reddit; quia veritas amara est, & licet amica Prophetis, *non sic omnibus*, præcipuè dulcia temper, non amara querentibus. Qui dulcia querunt, amarâ veritatem spuunt, quia deglutire non possunt. Sed heus! Spuentes fraterculi! Mementote, & benè animadvertite juxta volumen aliud alterius Prophetæ, falcem quam tam pariter circumvolasse... Falx, jugulo aptissima. Ipsa ergo hos libros meritò comitatur, clarè insinans, eorum guttura jugulanda, quæ, quia amarâ, veritatem deglutire non possunt, & eam spuunt. Spuite fraterculi, spuere, sed à fauce cavete.

52. Optimum amicissimi Monachi consilium. Cavebunt igitur posthac Jesuitæ, ne probra ulla spuant, si nolint ultrice falce jugulari. Quam miserum & lamentabile! si fortè dulcia semper quærentibus per manum austeri Monachi superveniat amara mors! & mors quidem, non inferenda gladio (quàmvis & gladios jugulo Jesuitarum intenter tremendus Monachus num. 77. & seqq., à cunctis Cisterciensibus evibrandos), sed exequenda dirâ falce, prolixius, atque adedò crudeliùs jugulante!

53. Num. 20. persuadere nititur, nihil se in Libello *Judicium* adversùs Antuerpiensium Criticam dixisse, nisi quòd *nimitiam* vocavit (quid reipsa dixerit, supra vidimus): & iratus, quòd tam levi causâ reprehendatur ab Anonymo, Jesuitas affatur sic: *O! boni!* & ad majora pro Christo patienter ferenda, benè morati Viri! Nunc, vel ex hoc experimento, verum esse capio, quod de vobis quidam sine facie hispanicè dixit: *No quieren que les lleguen al pelo de la ropa, porque es ropa de poco pelo, y sienten que de mil leguas los pongan, è quieran poner para pelar.* Sed pilum, & pellem pro talione dabitur.

54. Jam nunc falx jugulatrix non modò timenda est Jesuitis ut imminens, aut minicans, sed expectanda citius, quâ horâ non putatur, certissimè jugulatura, immò & pellem cum pilis evulsura, priusquàm pilum vestis attingat; eorum instar fulminum, quæ interdum homines illæsis vestibus occidunt. Laudanda Monachi charitate flagrantis præmonitio: minùs enim jacula feriunt, quæ prævidentur.

55. Num. 21. rurùs ad Jesuitas in communi: *Vobis insuflum,* quod alijs plausibiliter salsum; & quare? Dicam (& hæc sic alia jussa causa vestræ generalis spuitiosis): in vestro ore plura, ut vidimus, evanescent. Evanescit veritas; evanescit urbanitas; evanescit sinceritas; evanescit laus aliena Alienum sal evanescit, & meum *evanuit.*

56. Hoc postremum tantummodò, fletu ac dolore dignum est, nec satis unquam deplorandum: si enim falsissimi Monachi sal evanuerit, & infatuatum fuerit, in quo salietur? De cetero, tanti Viri inrefragabili testimonio quid opponere queant Jesuitæ? nisi forsàn ipsum sibi metipsum opponant, dum in Libello *Judicium* num. 17. sic loquitur: *Denique Societatis alumnos, à quâ mira semper in Bernardum devotio, perpetuus Cisterciensibus honor.* Hoc enim si verè ac sincerè dictum est, nec verè, nec sincerè loquitur idem Monachus in *Conspicuo*: nam saltem urbanitas in Clarissimum Ordinem Cisterciensem, & in Melissimum Parentem perpetua laus, honor, ac devotio, in ore Jesuitarum non evanescent.

57. Num. 36., postquàm probare contendit, quòd Abbati Guillelmo, Sancti Bernardi gesta narranti, fides debetur infra divinam summa; & quòd Guillelmus, *licet metaphysice homo, serè non est homo moraliter obnoxius errori*, subiungit: *Et ista omnia vera cum sint, quid, quod Pinus, & ejus docij dubitent? Quis Pinus? Et qui Vos omnes?* Quando non dubitant, qui inter Pinos, & alias Pinos altiores, etiam in cacumine positas, tantum altum, sanctum, & doctum extulere caput, *quantùm, nisi sit, at inter viduana Capressi?*

58. Hæc dum legerint Jesuitæ, ad urbanam, & perhonorificam

Monachi quæstionem, *Qui Vos omnes? reponent forsitan illud Juvenalis:*

— *Næ tu Gallinæ filius albæ;
Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.*

Gracilia nos (addent), exilia nimis, ac depressa viburna sumus; nec præcellas Cistercij Cupressos, Cedrosvè sublimes, quæ caput inter nubila condunt, altitudine unquam æquare præsumimus; contenti flexilium docilitate viburnorum, quæ varijs humanæ vitæ usibus non omninò sunt inutilia.

59. Num. 76. cùm ab Anonymo notatus fuisset, quòd Suarianæ Scholæ principia non bene calleret, excandescens mirissimus Monachus planè denunciat Scholam se istam deserturum, ut à *manicis ferreis, & compedibus expeditus*, mente jam liberâ sequatur Aquilæ Augustini, & pullorum ejus probatorum, Bernardi, & Thomæ, sublimem super æthera volatum; *relictis*, inquit, *vel etiam despectis illorum rapacium milvorum depressis circumvolatibus, qui simplicium columbarum prædæ cupidi, & raptui dediti, vix proximiores terræ easdem tantùm circinant auras.*

60. Haud obscure significat hoc loco perdoctus Monachus, Saarianam Scholam ab Augustini, Bernardi, & Thomæ volatibus esse remotissimam, nec nisi rapaces milvos alere, vix alas è terrâ levantes. Fortè vix prudens haud satis advertit, dedecus à se non modicum infligi doctissimæ Congregationis suæ Magistris; ut qui hætenùs milvis permixti rapacibus, nec Aquilam, & Aquilinos pullos volatu subsequi curantes, vix digitum à terrâ discesserint, & infimam Athmosphæræ regionem ægrè circinaverint, non tam volantes, quam repentes. Quòd Monachus iste, vir tantus, ac talis, Suarianam se Scholam ruptis compedibus desertum ire denunciet, hæc profectò minarum est omnium maxima, & terribilissima, quæ Suaristas omnes infandum in modum consternabit. Minatur quidem, nec semel, falces, & enses homo formidabilis; & Cistercienses horratur, ut venditis tuancis gladios emant, quævis invisos jugulent Jesuitas. Sed nihil æquè timentium Jesuiticæ Scholæ militibus, ac fortissimi hujus Achilles recessus è Castris. Quis Ilium deinceps oppugnabit? Quis Hæctora vincet?

61. Enimverò Suariana Schola (procul hinc ironia) magno sibi semper honoris ducet Cistercienses habere suffragatores, & illustratores doctrinæ suæ, nunquam non, si raram avem excipias, Magistros optimos, nunquam non sapientissimos. Ceterùm, quòd rara ista avis, quæ cognomine, ut fertur, *Anser* est, confestim avolet, indolefcet utique Schola infelix; sed quemadmodum indoluit olim, teste Cervantes, amalia quædam inelyti Quixoti *de la Mancha*, Altisidora nomine, quæ famosum Equitem cùm apud se diutius retinere non posset, lacrymosâ Ode sic profecuta est abeuntem:

*Cruel Mireno,
Fugitivo Eneas,
Barrabàs te acompaÑe,
Y allà te avengas.*

62. Num. 80. de Jesuitis indistinctè, *Hæc fors*, inquit, *& felici-*

*Constitt. n.
77. & seqq.*

,, *citas* nostra , ut quam amissimus modestiam , in Te modestissimo , &
 ,, in Tuis perd tam inveniremus : & molestiam , quam à vobis quasi
 ,, mutuam habuimus , vobis propriam redderemus ; ut unaquæque
 ,, non in alienâ , sed in propriâ lede , & domo maneat . Id enim no-
 ,, bis accidit , quod in vobis non ex accidenti , sed quasi per statum
 ,, *invenitur* .

63. Hic omnis evadendi via præcluditur Jesuitis : nec scelera
 in ijs notata per hunc , qui nec fallere , nec falli potest , Monachum
 scientissimum , rejicere ipsis licet in Socios pauculos , & à Societatis
 Corpore depellere ; siquidem illa Jesuitis inhærent *non ex accidenti* ,
sed quasi per statum , & in Societate ipsâ , velut in propriâ sede , & do-
 mo , pacificè commorantur . Quis hæc effugienda cederet à Monacho
 Cisterciensi , non dico pudoris , sed rationis compote ? At interdum
 delirare senes , haudquaquam novum .

64. Ibidem utcumque respondere conatur Anonymo nuperas
 Cisterciensium lites exprobranti : ac deinde putatitium hunc Jesuitam
 admonet his verbis : *Te monitum velim , quòd si non prohiberet modestia* ,
non pudor , his majora & pejora objicere in te , inque Tuos possem . Pergit
 num . sequi : *Num scio* Theatrum N . . Scio Practicam Moralem . Scio
 ,, Tubam Magnam . Scio Tubam Maximam . Scio nuper editum Libellum
 ,, lum , cujus titulus *Madridæ Corte* . Scio Consultationem , & quidem
 ,, doctissimam , super eum , & supra cum plura continentem . Scio
 ,, Epistolas plurium virorum ad Romanos Pontifices . Scio Lites Si-
 ,, nenses , & quid actum fuerit , & quid tandem actum sit . Scio lites
 ,, Mexicanaas , & nuperrimas Segovianas , & Vallisoletanas chocola-
 ,, tum effluentes , quarum conformata Memorialia mecum , & me-
 ,, moriter teneo . In quibus omnibus multa nimis , magna , & stupen-
 ,, da , miranda quidem , & non imitanda continentur . Quæ omnia ,
 ,, & multa alia , si modestus tacui , laceffitus dicere potui , ut vel ex
 ,, hoc videas , me non ex infirmitate , sed ex virtute , non ex inopiâ ,
 ,, sed ex modestiâ tacere ; atque simul experiaris jam Cisterciensibus
 ,, plusquam Ethnicos facere , dum tam acriter atque impolitè provo-
 ,, cati *filemus* .

65. Postremum hoc verbum *filemus* (dummodò Cisterciensium
 nomine soli veniant Author *Consultus* , & *Columbæ* Parens) nemo non
 agnoscat esse verissimum . Qui enim apud Ethnicos vidit unquam si-
 lentium ad injurias tam modestum , profundum , obstinatum ? Planè
 Cisterciensis uterque silentior Socrate , Pythagorâ taciturnior ; immodè
 & omni Pfirato & Picâ mutior . Quamobrem , si quis Zoylus dubi-
 ret , an silentior , ac taciturnior fuerit , lenior è , ac modestior , vel
 Tullius in Verrem , vel Demosthenes in Philippum ; Zoylus erit .
 Nominatim nihil modestius , nihil prævientius Authore *Consultus* ,
 qui , cum proscriptos , & infames Libellos magnam jam partem ex-
 pilaverit , ne totos ad litteram , & ad apicem utque refundat , ne è
 totum , quod ebibit , virus evomat , modestiâ , & pudore prohibe-
 tur . Nihilominus immediate post verbum *filemus* , addit : *Satis ta-*
 ,, *men verâ sententiâ super hoc in meo exarata Libello , scilicet* ,
 ,, *quòd laceffitâ , & vulnèrata modestiâ non semper sinit , nec sinit debet* ,

„ quæ originem ducit ab eâ Senecæ dicentis : *Patientia vulnerata in iram convertitur*, atque *furorem*. Sic pudibundus Monachus ; nec immeritò : oportet enim jus suum cuique manere saluum ad furendum, & ferociendum, occasione datâ. Hoc si non faciunt Ethnici, Urſi faciunt ; siquid valet Martialis monitum de mansueto & cicurato Urſo loquentis :

Rabido ne perditus ore

Fumantem nasum vivi tentaveris Urſi.

Sit placidus licet, & lambat digitosque, manusque

Si furor, & rabies, si iusta coegerit ira,

Urſus erit.

66. Sed quid necesse est, Monache scientissime, ut nobis toties ingemines verbum *Scio* ? Quid non *sciat* novus Cistercij Salomon ? Varro alter omniscius ? Scientia tua totam *de Calumnijs* Materiam, Artem, Facultatem exhaustit penitus ad farces usque. Sed cum tot, ac tanta *scias, scias, scias*, Utinam taperes ! Jam ex te discimus, quibus Magistris tam doctus evalesis. Ex te discimus, quæ tua sint Biblia, ideò sacra, quia fulgurita. Ex te discimus, quæ tibi sint Institutiones, Pandectæ, Novellæ, Decretales, Extravagantes : e quibus nihil magis consonat ingenio tuo, quam Extravagantes, & Novellæ. Eruditioni tuæ quid impervium ? Mexicum adis, Sinas, Mundum universum ; non ut Evangelium prædices omni creaturæ ; sed ut ex omni creaturâ studiosè corradas, coemas, colligas, quidquid maledicentiæ in Jesuitas uspiam exitit. Ex Oriente margaritas advetis, ex Occidente pretiosa metalla, quibus tua ditescat Bibliotheca. Hæreticus sit venitor, an Catholicus, parum curas. *Tros, Rutulusve fuit, nullo discrimine habetur*, modò sit in Societatem maledicus. Has tu divitias nunc conditas servas, effusus ubertim, cum pudor, & modestia non adeò te rigidè coarctent, sed patientiam converti sinant in furorem. Interim nihil te prohibet adhuc in Jesuitas jacere leviora quædam.

67. „ Nam sequi. num. 82. *Podagrâ præpeditus*, inquis, *non quoties volo, sed quoties possum, amatos ambulo calles, plateas* „ *visito, gaudenter semper, quia semper, & ipsidem horis, gavisus* „ *sum videre examina ex Vestris, nigris simillima corvis, undiquè* „ *circumvolantia, huc euntia, & illuc venientia ; &... gaudeo vide-* „ *re binos & binos, & alios binos, & alios optimos binos, sollici-* „ *tos omnes, omnes fervidos, & charitate pleos, tanquam queren-* „ *tes non quæ sua sunt, sed quæ aliorum : sed & video alios, etſi* „ *non omnes, squillos pœnitentiâ, præ mortificatione pallidos,* „ *sed nullos, etſi pallidos, pallidæ morti similes ; quia*

Pallida mors

„ *Æquo pulsat pede pauperum tabernas,*

„ *Regumque turres.*

„ Nam Vos non æquo pulsatis pede humiles pauperum casas, Principum, divitumque domos ; cum in illas ferè nunquam intretis ; ex „ illis ferè nunquam exeatis. Pœno infer us : *Domus vestre vacue desertæque quotidie manent, statim ac ad vesperum inclinat dies.*

Hoc

68. Hoc intelligendum innocuisse bono Monacho, contemptationi dedito, per visionem, quam vocant imaginariam. Nam, cum ipse sit *Eremis bñtus*, & *Choris intentus*, non aliter videre potuit Jesuitas gyrovagos huc atque illuc circumvolitare binos & binos, ut quã pollent odorã canum vi, thesauros quærerent alienos, & inventos arripiant. Nec obstat illud, *Ambulo calles*, *Plateas visito*. Id enim totum eremitico & contemplativo Monacho non aliter, nisi in raptu contingit, & in excessu mentis, cujus fomitem, & incitabulum in Cellã suã testatur se habere copiosum: tali quippe in raptu videri ac notari solent ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. Quodd autem Monacho nostro dignum risu videatur Jesuitas incedere binos & binos, non ided est, quia ridendum putat Dominam discipulos suos in Evangelio mittentem *binos & binos ante faciem suam*; sed quia nunc temporis Religiosos viros, ut se se ostendant solitudinis amantes, oportet incedere singulatim, soloque galero socio divagari.

69. Porro, non exigui beneficij loco accipiendum est, quod Jesuitas aliquos, etsi non omnes, austerus Monachus in ecclasi viderit squalidos pœnitentiã, & mortificatione pallidos. Non decebat Monachum nostrum duriores esse Luthero, Calvino, Bezã, & gregalibus; qui, dum Papam vocitant Antichristum, & Romanam Ecclesiam, Babylonem, ejusque filios generatim idololatrias, non propterea omnes omninõ Romano-Catholicos censent scelestos. Legi ego Burnerum, Salisburiensem in Anglia pseudo-Episcopum, cujus odio in Ecclesiam Romanam nihil virulentius: qui tamen privatos Romanos Catholicos laudat haud paucos, præsertim Religiosorum Ordinum alumnos. Nec nimis scrupulosè curandum, quod eosdem ipsos Jesuitas, pœnitentiã & mortificatione pallentes, Monachus noster faciat hypocritas, superbos, avaros, paupertatis, & humilitatis contemptores, & Principum, ac divitum adultores, utpotè ferè nunquam ex eorum domibus exeuntes, & ferè nunquam dignatos tuguria pauperum intrare, quidquid aliter dicitur Institutum Societatis. Sanè pauculos istos Jesuitas non oportet toto squalore, & pallore suo gloriari, quod Cisterciensium more plusquam ethnici faciunt: notum quippe est, Brachmanas, & Bonzios in Oriente, quàmvis ethnicos, & paganos, pallido vultu, & squalidã veste, pœnitentiã laudem affectare, nec oblata mortificationis signa præferre. Quidni ergo tales esse putentur illi perpauci, qui pallidi apparent in delicatiorum turbã Jesuitarum, tamquam *rari nantes in gurgite vasto*?

70. Hæc sunt, quæ bonus Anachoreta in Jesuitas indistinctè dictos, & in Societatem Jesu, gloriosa consulit encomia; plura, & majora collaturus, nisi nimia modestia, pudorque nimius, prohiberet invitum. Nec tamèn omnia recitavi: micant enim & alia non pauca in *Constituta spectabili*, quæ præterivi lubens, vel quia recitatis apprimè consonant, vel quia talibus amplius immorari distædet. Taliã cum ille blateraverit, nihilominus haud malè se de Societate sentire indicat in calce Libelli; ubi putatitium Jesuitam Anonymum, à se victum, prostratum, & obtritum, sic miseratus alioquitur: „*Surge, vade*, & præclaræ Religioni Matri tuæ hanc ex Cisterciensibus

„ bus

bus defer supplicem deprecationem. Dices, nos non ex vindictâ,
sed ex fraternâ charitate, atque ex mutui honoris zelo exorare,
quod te tanquam abortivum, è sancto, doctoque gremio tuo ex-
pellat, ut alios minus discotos assolet; vel saltém, quod te... iterum
in Domum Novitiorum mittat, ubi iteratâ illâ benè probatâ edu-
catione, quæ in tot alios reiplet, ac depositâ feritate, ... possis
cum hominibus, præcipuè pijs, & doctis, *conversari*.

71. Hoc sanè loco urbanissimus Monachus *præclaram Matrem* vocat Religionem Societatis, *sanctum, doctumque* gremium ejus, & *benè probatam, quæ in tot alios resplendet*, educationem Novitiorum. Laudibus hisce quid illustrius? Siquid antea protulit contrarium, id à bono Monacho non ex vindictâ, sed ex fraternâ charitate, atque ex mutui honoris zelo dictum est. Utique: non abnuo. Nemo quippe tam hebes, fatuivse fuit, qui non illicò intelligat, serio ac sincerè vocari *sanctum, doctumque* gremium *Babylonis*; & *Meretricem magnam*, quæ Mater est abominationum terræ, serio ac sincere *præclaram Matrem* appellari, necnon benè probatam educationem, quæ superbos educat, raptores, alienis bonis inhiantes, & ceterarum hostes Nationum; ideò que à Monacho nostro non dicitur educatio *in alijs* resplendere, sed *in alios*; quia tota in alio semicat more fulguris, alienos percellentis oculos, & obcæcantis, ne Jesuiticam videant vanitatem, & rapacitatem; præcipuè verò fulgurat in omnes, *qui non vos, & domos vestras repleant, & honorificent*, ut Monachus ad Jesuitas ait.

72. Nec item fucum facere putandus est noster Monachus, cùm antea num. 63. ad præsumptivum Jesuitam Anonymum hæc verba, dirigit: *Magnopere* su picor, te ex illis non esse, qui de rore cœlestium infusionum, & divinæ gratiæ arcanis, & mirabilibus, nec de re theologicâ, sive scholasticâ, sive morali, sive mysticâ agunt, (quorum plurimos ex Tuis eruditissimos, doctissimosque, & novi, & dilexi amicos, & nunc, ut par est, veneror Magistros), sed *de illis, &c.*

73. Non, inquam, fucum facit sincerissimus Monachus. Perspicuum namque est, eosdem esse Jesuitas modò laudatos, quos antea Monachus ipse comprehendit, & computavit inter homines nihili, dum à Jesuitis omnibus quæsit, *qui vos omnes?* Eosdem item, quos postea prædicat molestos omnibus, & immodestos esse, *non ex accidenti, sed quasi per statum*, atque adeò dotibus istis, a ijsque supra memoratis, velut proprietatibus *quarto modo* inherentibus, ornari: nam quæ Jesuitis hoc modo conveniunt, totam Jesuitarum speciem sine dubio pervadant, ipsisque solis, omnibus, & tempèr adherseunt. Denique eosdem esse, qui ad Genem pertinent Assyriorum sub Holoferne militantium; qui, cùm ex officio raptores sint, non alio sensu dici possunt *eruditissimi*, atque *doctissimi*, nisi quo latrones dicuntur famosissimi, & hypocritæ simulandi arte peritissimi. Caveat tamen vir iste prudens, ne Jesuitas hocce, quos irridendo vocat *Magistros, & amicos*, salutatum, & osculatum accedat; fortassis enim taceat eum cuiusdam eorum verba Domini ad proditorum discipulum, *amice ad quid venisti?*

74. Rogatum hic volo pium Lectorem, ut ne suspicetur quidem, religionis suam Monachum, tot probra, & calumnias in Jesuitas effluentem, peccatū forsitan peccatum grande: id enim foret *nitiditas* Piiij Criticam imitari, & venerandam tanti Viri canitiam, aut calvitiam, irreverenter spernere. Profecto, cum ille sit in materia de *Infinitis* veratissimus, magis experientiā magistrā, quā Bonæ Cardinali docente; cumque de rore coelestium infusioem vivat, & bibat; proclive est credere, quod superno instinctu, saltem phanatico, motus fuerit ad innocenter debacchandam. Plurima quidem scripsit mendacia, calumnias plurimas, quæ in vulgari homine planè forent contra Decalogi præceptum octavam, simulque contra leges Ecclesiæ de Religiosis Ordinibus non infamandis, præsertim confictorum imputatione criminum: Sed cum ipse pro virili contendat (ut infra patebit) Bernardo juveni divinā dispensatione licuisse res quasdam naturali Lege prohibitas, quid ni credamus, Viro illi magno, jam seni, sobrietate, & inediā podagroso, dispensationem, facultatemque liberam mentiendi, & calumniandi, fuisse concessam, vel à Libero Patre, cujus se cultorem glorianter profitetur, vel à Numine illo, quem Veteres Fabulinum Deum appellarunt?

75. Exarata hucusque probra omnia, tanquam è canosis, putridis, ac damnatis fontibus hausta, & à furente Monacho suæ profelsionis immemore jactata, despicerent, ut reor, facile Jesuitæ, maledicentia insultibus hujuscemodi jam dudum affuesceti; nisi rumor increbuisse, ea jactari nomine & autoritate clarissimæ Cisterciensium Congregationis Hispanicæ, & Monachum illum de mandato, vel consentu Venerandi Senatūs (*Definitorium* vocant) ejusdem Congregationis, in Jesuitas esse tam proccaciter & intemperanter invectum. Fundamenta rumoris hæc inter alia ferebantur. Idem est Author *Confictus*, qui & *Judicij*, ut ipse testatur: idem utriusque Libelli conatus adrepellendum Notas Antuerpiensium. At in *Judicio* palam enuntiat ipsemet, Superiorum suorum jussu impelli se ad scribendum adversus Notas, & ita quidem, ut nonnulla cogatur scribere vel invitus. Sic enim ait num. 21.: *De hæc secundâ Notâ omnino silere statueram: & maneret propositum, nisi injunctum mihi fuisset aliquid vel per transfennam dicere. Eapropter, & quasi invitus dico, &c.* Antea num. 17. dixerat, quædam ad Notas spectantia; quæ iam ibi memorat, silentio esse damnanda, *si Patribus nostris videbitur*: quæ sanè loquendi formula propria est Monachi Definitoribus suis morem gerentis, & eorum mandato, vel judicio stare gestientis. Qui ergo *judicium* ex obedientiâ edidit, cur non credatur ex obedientiâ pariter edidisse *Confictum*? Accedit, quod in *Confictus* exordio jactanter edicit, se in defensionem sui Ordinis ad pugnam procedere contra præsumptum Jesuitam, ut olim processit David in defensionem Israelitici Populi contra Goliathum. David autem proculdubio ad pugnam descendit nomine & autoritate Populi sui. Denique in fine *Confictus*, nempe num. 107., tanquam ceterorum Cisterciensium Organum, putatio Jesuitæ sic mandat & imperat: *Vade, & præciare Religioni Matri tuæ hanc ex Cisterciensibus deserviplicem deprecationem. Dices, nos non ex vindictâ, sed ex fraternâ charitate, &c.*

76. His permotus R. P. Provincialis Castellanae Provinciae Societ. Jesu, Salmanticae cum esset, ubi rumor ille maxime percrebuerat, & ubi maxime manibus omnium terebatur maledici Monachi Libellus, epistolam dedit ad R. P. Generalem Cisterciensis Congregationis Hispanicae: qua in epistola indicatis Monachi probriis & calumnijs in Societatem, & in Jesuitas universim, R. P. Generalem precatus est, ut Monachum sibi subditum, si dignosci posset, ad retractationem coegeret calumniarum; vel saltem dignaretur & suo & totius sanctissimae ac sapientissimae Familiae Cisterciensis nomine declarare, Monachum istum non nisi proprio Marte, nullaque Superiorum autoritate fultum, nullo fratrum consensu roboratum, Societatis calumniatorem egisse. Annuir R. P. Generalis; & R. P. Provinciali rescribens (licet maledictum Monachum non correxerit, emendationem forte desperans), disertè declaravit, improbari sibi, magnumque dolorem ingenerasse calumniosum Monachi Libellum *Constitutus*, & injuriam fore Venerabili Congregationis suae Definitorio, qui rem tam turpem crederet ejus autoritate fuisse patratam.

77. Disertum hoc & irrefragabile testimonium R. P. Generalis praeculis haberi oportet; tum nequis putet, memoratas in Societatem calumnias autoritate Religiosissimi Ordinis communiri; tum ne delinquentis increpatio Monachi censeatur in Congregationem ejus clarissimam redundare; quandoquidem ipsamet crimen illius improbat ac detestatur. Solus igitur Author *Constitutus*, & interdum sodalis ejus Author *Columba*, increpationem subibunt, minime vero reliqui Cistercienses, nec eorum clarissima Congregatio Hispanica. Religiosum Ordinem in communi vituperare, vetitum est, & mille nominibus illicitum: attamen privatum Religiosum, siquando calumniatorem agat, reprehendere, carpere, increpare, corrigere, quantum pro repellenda injuria, & dissipanda calumnia fuerit opus, nullà lege prohibutum.

AUCUPIUM SPECIOSUM,

SEU PULCHER FESTIVUSQUE DE VOLUCRI
Maledicentiâ Triumphus.

§. I.

AUCUPIJ RATIO. QUALITAS AUCUPUM, ET ALITUM.

1. **A**ucupium exhibeo per Alites quatuor, quorum alij alios reddet speciosum & raritas Aucupum inter se pugnantium, & pugnae vicissitudo varia, modusque certandi peregrinus. Infestis unguibus & rostris obarmati concurrunt Anser, Palumbus, Milvus, & Gallus: incerti (si Gallum exceperis) quis cui cedat in praedam, cui vincere detur. Personam statim omnibus detraho, velamen amoveo. Concurrunt Author *Constitutus spectabilis*, Author *Columba veritatis*, Author

Alites varij.

D

Lit-

Litterar. Apologet. (hi tres jam ex Prodro-mo satis noti) ac demùm su-
pervenit Gallus Diatribæ præsentis Instructor.

Anser.

2. Equidem Authorem *Confilius* nec de facie, nec de nomine novi: sed, ut à peritis inaudio, proprium ipsi cognomen, anagram-
matismo perfacili, *Anser* est: atque hoc nomine deinceps mihi com-
pellendus, & brevitatis, & proprietatis ergo. Nec tu, mi *Anser*,
appellationem dedignaberis: siquidem *Anseres* olim magno in hono-
re fuerunt apud Romanos, ex quo Capitolinam arcem garrulitate suâ
prætervarunt ab irruptione Gallorum, tacentibus, & somno deditis
Canibus, quos idcirco *Anseribus* immolari ex tunc in more positum,
& quos tu Jesuita: um fuisse typos non illubentèr dixeris. Sodalis verò
tuus, Author *Columbæ*, cujus pariter ignoro nomen, suadebat ami-
cus Hispanus ut appellaretur *Alcedo*, notus ales, quem Galli vocant
Martinet, Hispani *Martinete*: hoc enim exposcere videtur iterata qua-
ter littera *M.*, qua Monachus ipse suum indicat nomen in calce *Ces-
lumbæ*. Atque ad rem suggerebat amicus rythmum vernaculum;

*Seràn del Gallo Fuguete,
Por volanderas Garxotas,
El Ganso, y el Martinete,
Y el Milano Miquelete,
Tres valientes Paxarotas.*

Idem Monachus *Cinna* mihi vocandus occurrit: quoniam *Cinna cum
Anser* sociatur *Nafonis* versiculo.

Cinna quoque hic comes est, Cinnaque procacior Anser.

Palumbus.

Quia tamen ille *Columbæ* se patrem fecit, aptius à me *Palumbus* no-
minabitur: & re verâ satis *Silvestris Columba* est, ut Pater ejus non
tam *Columbus* dicatur, quàm *Palumbus*. Nec est cur ille nomen hocce
detrectet. *Palombus* quippe castimonix pharmacum creditur, juxta
illud *Martialis*, *Non edat hanc volucem, qui cupit esse salax.* A naturâ
quoque, *Manlij Torquati æmulus*, torquem gestat, quod est hono-
ris insigne. Ad genus item pertinet *Columbinum*, & *Columbis* co-
mesticis, non semel in *Sacrâ* *Paginâ* commendatis, decimo saltèr
cognationis gradu conjungitur.

Milvus.

3. Author *Anonymus Litterar. Apologet.* ipse sibi *Milvi* nomen
impotuit, dum in fine *Libelli* sui ultrò pronuntiat: *En Milvus adsum,
nihil dissimulabo, omnia, que exposueritis, momentò corripiam.* Illud
hoc nomine acriter insectantur *Palumbus*, & *Anser*, & quidquid
invidiosum de *Milvo* cogitari potest, in ipsum intorquent. Sed non
erat tantoperè insultandus eâ de causâ. Nam aliquid *Milvus* habet
laude dignum, cujus exemplo Deus *Jerem. 8.* infideles, & ingratos
arguit *Irachitas*. In veterum fabulis Poetarum, quibus eruditus est
Anser, legitur *Milvus* propter obsequium *Jovi* præstitum inter sydera
relatus, *Nafone* testimonium perhibente: *Milvius & meritis venit in
Astra suis.* Quid autem magis rostro, & unguibus naturam imitetur
Accipitrum, an ille *Milvus*, an iste *Anser*, & iste *Palumbus*, alio-
rum esto judicium; nec recuso *Benedictinos*.

Gallus.

4. Denique ego ipse, *Auceps*, & *Instructor Aucupij*, &
origine, & cognomento *Gallus* sum, *Gallus* que proinde vocitari

non reuuo. Præcipuè verò in præfentiarum Galli mihi nomen congruit, & officium: siquidem iuxta Sacram Hymnodiam,

*Gallo canente spes vedit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides reuertitur.*

Item:

*Hoc omnis errorum coheret,
Viam nocendi deserit.*

5. Præterea non raro de Cisterciensibus incidet sermo: quos equidem tam habitus, quam vitæ candore, diuinaque laudes concinendi studio, generatim & indistinctè dictos, verissimos Olores esse lubens agnosco. Et quàmvis nunc, ut læpe aliàs, autus fuerit *Argutos interstrepere Anser Olores*, facillè tamen garritus inconditus ab olorino cantu fecernitur. Olorum autem, siue Cycnorum appellatio iatis per se se decora est, & honorifica.

Cycni:

6. De Jesuitis exproffesso loquendum: quos Anser Corvos indigitat, dum eorum agmina nigri dicit *simillima Corvis*. Nomen Corvorum an Jesuitæ libenter audiant, non nihil addubito. Scio tamen non aded esse probrosum, ut nequeat interdum ad opera pietatis alludere. Deus namque ministerio Corvorum usus est, ut Eliam pasceret Prophetam magnum, necnon Paulum Eremitarum Ducem, & Magistrum. Corvus fuit, qui sacrum S. Martyris Vincentij corpus & à volucris, & à lupo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Corvus item, qui oblatum S. Benedicto panem cognovit esse venenatum, & eò transtulit, ubi nocere non posset. Inducuntur etiam in Sacris Litteris invocantes Dominum pulli Corvorum: & Dominus ipse inter magnalia Providentiæ suæ non semel commemorat, quod cibum Corvis & escam præparet.

Corvi:

7. Denique tota Diatribæ hujus intentio, totus erit conatus abigere mendacia, & maledicta dissipare, quæ in Societatem Jesu, & in Continuatores Bollandi malignâ voce garrunt Anser, & Palumbus. Meritò autem inter Volucres computantur garritus maledicti. Nam, ut agebat Tullius, *Nihil est tam volucre, quàm maledictum: nihil facilius emittitur: nihil certius excipitur, latius dissipatur*. Idcirco maledicta, detractiones, calumniæ, non improprie vocitari poterunt *Harpyiæ*; de quibus Maro 3. Æneid.:

Cic. pro Planc.

*Turpius haud illis monstrum, nec seuior ulla
Pestis, & ira Deum stygijs se se extulit undis.*

Harpyia.

Nihil igitur non volucre, nihil non volatile in hoc Opere occurrit.

8. Idem verò sunt & Aucupes, & Alites aucupium sustinentes. Milvus enim aucupari nititur Anserem, & Palumbum: qui re sumptis viribus Milvum aucupari conantur. Sed eos omnes aucupabitur modò Gallus, victosque ducet, ac deplumes, ut qui secundis auspiciis capturam aggreditur. Adsunt quidem Oscines infaustæ, lugubres, ominosæ; sed sibi metipsis, non Gallo, qui faustum à Justitiæ Sole lumit auspicium. *Preco diei jam sonat, — Jubarque Solis evocat.*

Igitur, *Da Pater augurium, atque animis illabere nostris.*

§. II.

CAUTIO PRÆNOTANDA. NECESSITAS DEFENSIONIS.

Consilium Authoris.

*Cisterciensis
Ordinis honor
illefus.*

*In Apolog.
ad Guill. Abb.*

9. **P** Rincipiò Lectoribus meis testor, & obtestor, nolle me quidquam honoris, aut reverentiæ Cisterciensibus in communi detractum, nec eorum Religioni sanctissimæ, nec ejusdem præclarissimæ Congregationi hispanicæ, seu Castellæ, & Legionis, quam ut sacrum perillustreque domicilium omnimodæ sapientiæ, & sanctitatis hætenus veneratus sum, & ad extremum usque spiritum venerabor. Ipsamet religiosissima Congregatio, quantum sibi displiceat, & improbetur criminorum Anseris facinus, irrefragabili sui Rmi. Generalis testimonio, cujus in fine Prodroimi memini, disertè declaravit. Unde tutò mihi licebit ipsam alloqui verbis Melliflui Parentis Bernardi Ciuniacensem Congregationem alloquentis: „ Paucæ, quæ & vobis displicere cognovi, & omnibus bonis vi-
„ tanta esse non dubito, necessarîò reor subjungere, quæ quidem etsi
„ fieri videntur in Ordine, absit tamen ut sint de Ordine. Nullus
„ quippe Ordo quidpiam recipit inordinatum; quod verò inordina-
„ tum est, ordo non est. Unde non adversus Ordinem, sed pro
„ Ordine disputare putandus ero, si non Ordinem in hominibus, sed
„ hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem, in
„ hac re molestum me fore non timeo; quinimò gratum proceden-
„ tibus accepturi sunt, si persequimur quod & ipsi oderunt. Si quibus
„ verò displicuerit, ipsi se manifestant, quia ordinem non diligunt...
„ Ipsi itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est, ut scan-
„ dalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Hætenus Mellifluus Bernardus.

10. Nihil igitur adversus Cistercienses in communi vel per umbram molior. Tota mihi concertatio erit adversus duos tantummodo, à Paternâ, & Maternâ sanctitate degeneres, Anserem, & Palumbum. Nec mirandum, quòd in Coetu sanctissimo degeat inventatur unus aut alter. *Lustravi* (ajebat olim Maximus Doctior Hieronymus) *lustravi Monasteria Nivie, & inter Sanctorum choros, aspides latere perpexi.* Et Anser quidem ob illatas Societati Jesu, & Jesuitis omnibus injurias, præcipuus mihi erit Antisophistes; non tamen Palumbum præteribo tacitus, nimis lividum & mordacem adversus Hagiographos Antuerpienses. Illum interim precor, ne *Hagiographos* à me vocari Continuatores Bollandiani Operis indignanter ferat: nam serupulo ejus græcanticò mox faciam satis.

11. Prima itaque mihi cura est alma Jesu Societas, quam injurijs, & calumnijs atrociter impeticam summo cum animi dolore cerno. Jesuitæ ad nuperos calumniatoris Anseris insultus hætenus obmutescunt: rectè ne, an secus, ipsi videant. Fortatse piget milibès actum agere: *Nam vererem in limo rane cernere querelam.* Vultissimæ sunt, quæ ab irato Anserè renovantur calumniæ: idèòque jam
omni

*Jesuitæ cur
lesi taceant?*

olim repulsæ milliès, millièsque discussæ lumine veritatis, milliès, etiam à Sacris Judicibus fulguritæ. Sed, nisi me mea fallit opinio, non propterea superfluus est clypeus, quòd iterati & ingeminati sint ictus hostiles. Apologias, præsertim modestas, legunt paucissimi; & qui legunt, faciliè memorià excidere, & avolare patiuntur. Contrà verò calumniæ, ut est hominum genus ad malignitatem pronum, & avidè excipiuntur, & vix unquam credulis animis excidunt, quin aliquod supersit vestigium, aliquavè suspicio veritatis, quæ mendacio fuerit obstetricata, juxtà proverbium hispanicum, *Toda mentira es hija de algo*: quòd tamen proverbium cordatis omnibus esset explodendum; cum passim mendacia ferantur plurima gratis conficta, & per quamdam (si fas est dicere) omnipotentiam malignandi, quam sibi Calumniatores arrogans, creata ex nihilo.

12. Profectò Jesuitæ, quibus ex Instituto convenit docendi, & prædicandi ministerium, præ alijs tenentur famæ consulere, & sibi dictum credere Scripturæ monitum, *Curam habe de bono nomine*. Quà de re præclare differit Angelicus Doctor D. Thomas Opusc. 9. contra impugnantem Religionem cap. 14., ubi exempla memorat, contra impugnantem Apostoli, necnon SS. Nazianzeni, Hieronymi, Augustini, Bernardi, & aliorum Patrum; & cum Gregorio Magno sic asserit: *Hi, quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compefcere, ne eorum prædicationem non aulant, qui audire poterant, & in pravus moribus remanentes bene vivere contemnant.* Addit idem Angelicus sequ. cap. 15. *Aliquando Religiosorum adversarij impugnant ipsam Religionem, vel Religiosorum statum in his, quæ ad spiritualia pertinent: aliquando verò in temporalibus. Et siquidem in spiritualibus impugnentur, totis viribus resistere debent, & præcipuè in illis, in quibus non solum sibi, sed & alijs profunt.*

Eccli. 41

*Famæ defen-
sio Religiosæ
necessaria,*

13. Hæc, ut reor, directè spectant Jesuitas; ut qui ex proprio Instituto debent, ut ajebat ille, *Non sibi, sed toti natos se credere Mundo*. Nam quomodo Jesuitarum spiritualia ministeria proderunt alijs, si Jesuitæ opinione Populi æstimantur molesti, & immodesti per statum? si censentur milites Holofernis, & proprius ipsorum Dux creditur Satanas hujus Mundi Princeps? si in omnibus, quæ moliantur, & agunt, non nisi honorem, pecunias, & divitias ambire putantur? si ceteris infecti vitijs habentur, quibus eos generatim & indidrectè deturpat garrulus Anser? Ac deturpat quidem, non verbo duntaxat, sed scripto publico, typis impresso, & in vulgus emisso: quòd genus detractionis tantò est nocentius, tantò perniciosius, quanto latius calumnia diffamatur, diutiusque perdurat, imò & in futura sæcula perennat. Crimen hocce tamquam proprium ministrorum Diaboli Religiosos infamare conantium optime ponderat in Proem. citat. Opusc. D. Thomas. Atque idem ipsum verbis notat energicis Hispanica Lex 3. Tit. 9. Partit. 7., dicens. *Porque el mal, que los homes dicen unos de otros por escrito, è por rimas, es peor que aquel que dicen de otros guita, porque dura la remembranza de ello para siempre, si la escritura no se pierde.* Accedit, quòd ipsi

Lucanus.

*Jesuitis præ-
ferim.*

Ca.

Calumniatori perutile est condigno verberere castigari, ut à pravo se-
vocetur amore criminis, nec ad novam calumniandi audaciam insolens,
cat. Nam, ut ait D. Thomas cit. Opulc. c. 16., *Quandoque aliqui
ex impunitate insolentes redduntur, & ad peccatum proniores. Eccles. 8.
Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque ullo timore
filij hominum perpetrant mala.*

14. Quantumlibet ergo Jesuitis placeat ad tam immanem sa-
tyram conticefcere, mihi haudquaquam integrum est omnino file-
re, dum sanctissimæ Societatis honorem indignissimè dilaceratum
aspicio, & nobiles ejus Scriptores contemptui habitos, ac ludibrio
expositos. Duos aggredior Aggressores, minimè tertitus veteri pro-
verbio, *Nec Hercules contra duos.* Quàm enim exigui sit roboris uter-
que adversarius, victoriæ facilitas patefaciet. Ad expugnandum hoc
Alitum par, non erit impar Gallus unus: qui, licet vires in se fen-
tiat esse tenues, tamen auxiliares accipiet à Justitia causæ; nonnul-
las etiam ab indignatione, juxta vulgatum illud, *Sinatura negat,
facit indignatio versum;* vel, si licet hùc trahere diviniora verba, jux-
ta illud Isaïæ, *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Monuerim tamen
non aded me indignatione abreptum iri, ut semper indignantis mo-
re procedam. Plerùmque enim, tecum præfertim, bone Anser, non
tam hostiliter agam, quàm amicè, imò & festivè; tum quia tu ip-
se facetias, & jocos amas; tum quia tua ipsius contumeliarum atrocità-
tas ita postulat: nam siqua fides Horatio,

Juvenal.

Isai. 63.

*Festivus
inreparationis
genas annun-
tiatur.*

Ridiculum acri

Tertull. cont.
Valentin.

*Fortius & melius magnas plerùmque secat res: vel, ut scitè Tertul-
lianus: Si ridebitur alicubi, materij ipsi satis fiet: multa sunt sic dig-
na revinci, ne gravitate adorentur. Congruit & Veritati ridere, quia læ-
tans; de æmulis suis ludere, quia secura est.*

§. III.

MILVI CONDITIO, ET PRAVITAS. ADVERSARIORUM Alitum sævitia immodica.

15. **Q**uisnam fuerit Anonymus ille Presbyter, qui *Milvi* si-
bi nomen assumpsit, & qui tantas Palumbi, & An-
seris iras meruit, omninò me lætet: & latere pariter
omnes Castellanzæ Provinciæ Jesuitas, certissimè scio. Quòd Jesui-
ta fuerit, indubitanter judicat uterque meus Antisopnists, & om-
nibus esse credendum apertè contendit. Sed judicium est planè te-
merarium, & contra proverbium Hispanicum, *Mas sabe el loca
en su casa, que el cuervo en la agena,* etiam si Jesuitas inter infanos
censeas. Certum quippe est, nec Cisterciensibus ignotum, à Recto-
ribus Collegij Salmancensis, & Vallisoletani Sancti Ignatij jussu
Rmi. Provincialis (ob aequalem suspensionem, quam movere poterat
suscepta ab Anonymo Bollandistarum defensio, ac vindicatio) di-
ligenter inquisitionem in Authorem *Litterar. Apogetica;* ut si fortè Je-
suica esset, agnitas puniretur pro meritis, non modò ut transgressor
legum in Societate vigentium, sed etiam ut in sacrum Cistercium inju-
rio-

*Anonymus
malè creditus
jesuita.*

riofus: diligentiam tamen irritam evasisse, nec de Authore Jesuitâ rescitum aliquid, aut subodoratum. Et verò, cum ex omni statu & ordine plurimi sint Hagiographorum Antuerpiensium studiosi, & admiratores; quòd aliquis non Jesuita causam eorum defendendam susceperit ab Anserino insultu, nemini non videatur verissimillimum.

16. Accedit argumentum mihi prævalidum ex differentia scriptorum, quæ à Jesuitis, & contra Jesuitas procedunt, sæpius à me observatâ. Nam quæ scripta Jesuitam aliquem impugnant, statim prosiliunt à parte ad totum, id est, à Socio uno ad socios universos; neque ullus maledicus privatum Jesuitam reprehendere novit, quin illicò progrediatur ad convitiandum toti Religioni Societatis. Quæ verò à Jesuitis eduntur, siquando Religiosum adversantem carpere opus est, illum duntaxat adoriuntur, servatâ erga Ordinem ejus aut Communitatem summâ reverentiâ. Cum igitur Anonymus Presbyter non sit reveritus Congregationem Cisterciensem Hispanicam, sed inurbanâ litium exprobratione reverentiam læserit ipsi debitam, quòd ille Jesuita non fuerit, dubioprocul ponendum existimo.

17. Scio te, bone Anser, crimen Anonymi tribuere, non incerto cuiquam Jesuitæ, sed certo cuidam, doctis non ignoto, nec illaudato, quem coloribus exprimis verè tuis. Si ex animo loqueris, aut tibi seriò persuasus, Jesuitam illum contra Te, vel Tuos scripsisse quidquam, miserrimè falleris, toto erras Cœlo, Teque nimium probas congruenti salivâ destitutum ad stylum gustu dignoscendum. *Phantasma* ipsum vocas, & *Spectrum*, haud improprie quidem: nam prout à Te inducitur sub personâ scribentis *Litter. Apologet.*, nihil est aliud, quàm vanum læsæ imaginationis phantasma, nihil, quàm aereum spectrum somnianti ac deliranti cerebro per quietem oberrans. Sed magis crediderim, hunc à Te hostem ultrò coufingi. Scilicet speraveras priori tuo Libello responsurum, ut Te cum tali Adversario decertasse aliquando, licet inaniter, gloriarere: sic enim palam significasti, dum Valli. olerio Matritum pergeres jam in procinctu ad scribendum. Nunc verò spe frustratus, ab eo Te læsum simulas, & in iptum inveheris procacissimè; ut saltem tor provocatus opprobrijs tecum in arenam descendat. At (proh dolor!) gloriolam hancce, nisi me præfaga mens deficit, impetrabis nunquam. Monstrum esset Aquilam cum Anserè dubio Marte pugnare.

18. Quare, si sapias, desine contumeliarum, desine convitiarum, desine immane detonare, *Desine & effreno nimbo equare profatu.* Namque vir ille, sapiens juxta ac religiosus, in eo boni nominis culmine locatus est, ubi nihil ab assaultibus impotentis iræ sibi metuit, & unde tutus

Despicit invidia fremitus, auditque ruentes

Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Majori est animo, quàm ut exemplo tuo voluptatem quærat ultionis; memori utique, non solum Evangelicæ doctrinæ, sed etiam sententiæ prophæti vatis:

————— *Quippe minuti*
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas

Jesuita quidam ab impostura vindicatus.

Juvenal.

Ul.

*Ultio: continuò sic collige, quòd vindictã
Nemo magis gaudet, quàm femina.*

Unde non magis curat, opinor, Anserinos garritus, quàm molossus Hibernus Lyciscæ Audaculi latratus imbellis. Si forte ad ineptias, & nænias tuas, & Iodalis Palumbi, risum tenet, nimium terribus erit ac melancholicus, præsertim cum videat omnes, qui Vos à scopo tam enormiter aberrantes aspiciunt, risu propemodum emorientes.

*Reprehendi-
tur Milvius.*

*Sevitas An-
seris, & Pa-
lumbi.*

19. Verùm, quisquis ille fuerit Anonymus Presbyter, aut Milvius, pravum, & si mavultis, sceleratum fuisse non abuo. De vindicando ejus honore nihil curo. Nulla mihi cum homine ignoto necessitudo. Luat ille proprijs impensis quidquid pravè commisit. Qui nomen occultat suum, & latebras affectat, ultrò se dicerijs quibuslibet exponit. Non omnia illius mihi probantur; quædam & improbantur penitus. In Sacram Cistercij Congregationem Hispanicam irreverens fuit, & contumeliosus exprobrator. Sanctæ Humbelinæ cultum publicum satis esse probatum, infcitè negavit, nisi fortè de solemnibus, ac pro totâ Ecclesiâ publicè denunciato fuerit locutus. Adversarios suos, præsertim Anserem, quamvis non immeritum, corripuit nimis acriter. Alia insuper exaravit præcipiti calamo. Piacula tamen Milvi hujus condignè ut plecterentur, quid necesse erat tot in eum inglomerare sædissima probra, tot infanda, & horrifona convicia, quot in Prodroso excerpta dedi speciminis loco? Decebat ne Jesuitam existimatum, & creditum, sic à Monachis excipi, & Cisterciensibus? Notaverat ille in utroque Monacho *supinitatem*, id est, hebetudinem, aut tarditatem ingenij. Hanc tibi cum spontè tribuas, modestissime Anser, non adeo graviter audire debueras. Reperdidisti nomen *Gerundis*, quod tametsi nihil ad rem significans, visum tibi compensando *Supino* satis idoneum. Par pari retuleras: quid ultra furere opus erat?

Virgil.

*Apes due
degeneres.*

20. Et siquidem umbratilis unus Jesuita vobis visus est inhumanè tractandus, non nè carnificinâ ejus exsaturari debuit fames ultionis? Quid commeruere Jesuitæ Continuatores Bollandi, Antwerpæ degentes, ac de noxâ Salmanticæ patratâ nihil somniantes, ut in eos quoquè sæviret insatiata vindictæ feritas? Quid comæruit tota Jesu Societas, ut arte & operâ Religiosi hominis, velut novi Merlini, monstrosis deformata modis, & in Babylonem transformata, daretur hæreticis in sibilum, improbis omnibus in ludibrium? videlicet *Unius ob noxam, & furias Ajaxis Oilei*; & unius quidem nec verò Socij, nec à Socijs probati, nec auspicio pugnantis, nisi suo.

21. Putaveram hætenus, in alvearibus Melliflui Bernardi non nisi Regiæ indolis apes enutriti, quarum singulis aptè congrueret scitum illud, Romæ jamdudum acclamatum generosissimo Principi, gentilitiam apem pro stemmate præferenti:

*Mella dabit cunctis, nulli sua spicula figet:
Spicula nam Princeps figere nescit Apum.*

Ratus omninò fueram, inde procal arceri, non fucos tantummodò ignavum pecus, sed & plebejas apes, immuem aculeum evibrantes. At nunc duas intueor deterioris hujusce naturæ, quibus exactè convenit Virgiliana descriptio:

Illis.

*Illis ira modum supra est, lesaque venenum
Morsibus inspirant, & spicula caeca relinquunt
Defixa in venis, animisque in vulnere ponunt.*

Reipsâ Vates in postremo hemistichio, *animisque in vulnere ponunt*, si forte, ut est Poetarum natio præfaga, ad binas respexit nothas apes Cistercij, vates fuit.

22. Cistercienses Monachos ab anonymo Milvo appellari *mures* fidenter affirmas, ò sincere Anser; ut egregio hoc fundamento, novam illam substruas fabricam Commentarij, quo sacra Judith historiâ nefariè abutens, Jesuitas in Assyriorum gente præsignatos asserere non dubitas. Sed, vel hac in re, ut in alijs permultis, Anonymo imponis pessimâ fide; vel idioma Latij turpiter ignoras. Ex his, quod *mavelis*, optato. En dictum Anonymi: *Post duos fere à conceptis iris annos, ridiculum Murem aborti sunt Albi Monachi.* Hoc palam alludit ad vulgatissimum Horatij verbum, *Parturient Montes, nascetur ridiculus Mus*; quo versu rem quamlibet expectatione minorem passim denotamus. Quare nihil aliud cuiuslibet latine scienti significavit Anonymus Milvus, nisi quod duorum scriptio Libellorum, à Monachis Albis duos jam annos parturientibus expectata, Horatiano Muri ridiculo videatur simillima soror.

23. Si Libelli parturirent Monachos, aliquam haberet speciem ignorantia, vel impostura Anseris. Ast, cum non Libelli Monachos, sed Monachi Libellos aborti fuerint, siquam Anser proportionem servare nosset, Cistercienses diceret ab Anonymo comparatos *Montibus*, non *Muribus*. Nec incongrua foret comparatio ista quantum ad Monachos duos; quorum unus, & alter, sub niveo candore vestis æstuantibus irâ visceribus, videri potest illius Montis æmulus, de quo cecinit Hispanus Vates:

*Hipocrita el Mongibelo
Nieve ostenta, y fuego esconde:
Qué harán los pechos humanos,
Si saben fingir los Montes?*

Quinetiam Mons uterque nivem indutus, non semper iracundiæ incendium abscondit pectore: nam interdum

*Horrificis tonat Aethra ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favillâ:
Interdum scopulos, avulsaque viscera Montis
Erigit eructans, &c.*

24. Et verò reliqui Cistercienses jure merito comparandi sunt Montibus iunctis, quorum in Sacris Litteris crebra est, & honorifica mentio; & qui caelesti rore perfusi, amœnitate fructiferâ perpetuo vernant. Inter eos tamen verticem attollere ausi sunt Montes duo infelices, cani, calvi, & steriles, quibus congruit Davidica maledictio, prout ab Ecclesiâ paraphrasticè recitatur: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia venient super vos, ubi ceciderunt fortes Israel: Omnes Montes, qui estis in circuitu ejus, visitet Dominus; à Gelboe autem transeat.* Nolo tamen maledictionem opponere maledictis.

*Impostura
de nomine
Mures.*

*Duo Monachi
potius Mon-
tes, & igni-
vomi.*

Virgil.

*Montes Gel-
boe.*

§. IV.

SÆVITIA PLUSQUAM FALCONIA DEFENSIONIS NOMINE
perperam excusata.

*Suam Anser
excusat ra-
tione.*

*Constit. n.
78. & 80.*

*Nefaria cum
David com-
paratio.*

*Furor in Je-
suitas.*

25. **A** Udire te mihi videor, Anser mitissime, ad excusandas excusationes in peccatis, pro Te, tuoque commilitone Palumbo, sic perorantem. Modestia potius (inquis) & pudore nimio, quam sævitiâ peccasse dicendi sumus, qui furiosissimum Gethæum suscepimus debellandum. Procefferat Goliathus immanis ad exprobrandum agminibus Dei viventis, id est, Cisterciensibus Monachis, qui, nisi lacefiti, tacent, eremis abdit, choris intenti, nulli molesti, modesti omnibus. Absus est Vir spurius os suum in Cœlum ponere, videlicet in Cistercium Sanctissimum, cujus Congregationi nostræ diuturnas, & clamorâs super domestico regimine lites, tametsi jam penè sopitas, exprobravit linguâ venenatâ, modoque incivili, agr. sti, rusticano. *Quis (ais) talia audiendo, temperet à lacrymis?* (Addendum hîc tibi Virgilianæ phraseos aliquid aliud, nimirum, quæque ipse miserima vidi — *Et quorum pars magna fui, nec parva Palumbus.*) Opus est, pergis, *Cistercienses vendere tunicas, atque emere gladios;* primùm quidem, ut Jesuitas à nocendo deterreant; ac deinde, *si aliquando opus fuerit, debito servato modo (nam vim vi repellere licet) manum etiam imponant, & districtis gladij, insolentes, atque insultantes invadant, & conterant inimicos,* id est, Jesuitas.

26. Interim ego humilis Monachus, talia cernens, non poteram non, velut alter David, pro Populo Dei strenuè pugnare fundâ pastoritiâ, & provocantem Philisthæum sternere jactis in ejus frontem lapidibus de torrente limpidissimis, quales in Proдроmo ad perpetuam rei memoriam delineati manent. Lapidibus quoque jacere me oportuit in frontes totius Philisthææ Nationis, cujus nomine citra dubiam Gethæus ille pugnaturus ascendit. Nationem intelligo Jesuitarum; quos, ut sunt homines versipelles, & omni mutabiliores Proteo, nunc Assyrios, nunc Philisthæos esse mirabitur nemo. In istos fidelis Populi terribiles hostes jacienda mihi fuerunt grandiora saxa, limpidissima tamen, utpotè de torrentibus electa crystallinis, *Theatri scilicet, Tubarum, Moralis Præctica, Libelli Madrid Corte, Consultationum fulguritarum,* cujusdam etiam è foro rabulæ in Segovianâ causâ declamantis, & rivulorum consimilium purissimo latice fluentium.

27. Rivuli ac torrentes istiusmodi, quantumvis fulmineo censurarum sulphure fumantes, mihi sunt omni crystallo Venetâ puriores, dum agitur de vindicando honore Cistercij, ac de inimico Jesuitarum impetu propulsiendo. Idcirco Societatem Jesu cum moderamine inculpatæ tutelæ, justæque gratiâ defensionis, Babylonem dicere non dubitavi, & Jesuitas in communi, *debito servato modo,* nuncupiavi superbos, præsumptuosos, expoliatores Urbium, raptores eorum, quæ sua non sunt, pecuniarum avaros, hereditatum accupes, testamentorum subversores, prophanos vel in Templis ipsis,

con-

contemptores pauperum, assentatores divitum, hostes bonorum omnium, bellum cum ceteris Nationibus gerentes, & siquid aliud modò non memini. Nec totum consumpsi limpidissimorum lapidum acervum: nam mihi præstò sunt majora, durioraque saxa, quæ in Philisthæos hosce projicerem, *si non prohiberet modestia, non pudor.* In his, & alijs non paucis, nec levibus, quæ signanter in Jesuitas Antuerpienses conjecimus Ego, & Palumbus meus, quid peccavimus? Quænam hic vel tenuis umbra lævitæ? Potuit nè defensio cogitari justior, lenior, modestior, aut pudencior? Quinetiam gratum habere debent Jesuitæ, quòd posito tantisper gladio mitiorem præmiserim castigationem, *ne forte aliquis, ex his etiam, qui Apostolica sectantur vestigia, zelo laesi honoris sui Magistri scandescens, ut Petrus, gladium eximat, & Malcorum auriculas amputare incipiat.*

28. Peroratione istà, verbis tuis, bone Anser, partim expressà, fideliter, & ad amulsum exprimi sensum Libelli tui *Consilijs Spectabilis*, tu ipse credo non ibis inficias. Equidem anonymo Milvo, si me consuleret, author essem, ut importunam illam, & minacem prioris tui Libelli jactantiam, *Cistercienses, nisi lacesiti, tacemus, &c.*, tacitus contemneret; & ab exprobratione abstinens injuriosà, nequaquam vulnera cruda retractaret, quod sine totius dolore Congregationis clarissimè fieri non poterat. Ille tamen abstinere noluit, & lites demùm exprobravit odiosas. Facinus audax, inurbanum, incivile, rusticum, agreste, contumeliosum, non diffiteor. At re ipsà non calumniosum, non fallum, ut tu ipse fateris gestu dolentis, & serò illacrymantis (an Cræodili lacrymæ?). Reverentiam læsit Milvus, non famam; cùm rem objecerit nuperam, notoriam, nul i non cognitam, aut oblivioni datam. Commemoratas lites tu Anser nos doces esse *penè sopitas*. Cur non *plenè*, sed *penè* tantùm, tuam ipsius conscientiam, & Palumbi consulto. Sed inde consequitur, Congregationem perillustrem memorià ipsarum ab Anonymo refricatà nullum denuò pati famæ detrimentum.

29. Nihilominùs, infandum facinus ut vidit, quasi nova conurgeret Gigantomachia, vel quasi ruituri nutarent cælestes Orbes, arma, arma exclamant fervidus Anser: & cùm *Tubas Magnam, & Maximam* alsidnè versando Tubicem evaserit, transformatus in Misenum Æolidem,

Quo non præstantior alter

Æra cedere viros, Martemque accendere cantu:

Classicum canit, totumque Cistercium ad arma vocat clangore sonanti. Rumpite moras, clamitat, Cistercienses Monachi: Tempus est, confestim Ere mos deserere, Choros derelinquere, Tunicas vendere, atque emere gladios: territate primùm ostenso mucrone præferoces hostes Jesuitas: sed si fortè splendorem fulgurantis ferri non timent, invadite, conterite, jugulate. Quid animosius? Quid Miæno buccinatore dignius?

30. Ergo nè Cisterciensibus, propter objectum ipsis inglorium aliquid à Jesuita temerè præsumpto, idque non fallum, non occultum, non antiquum, non denuò infamans, non abnutum,

Consilijs.
n. 77.

Nulla injuria cum vindictâ proportio.

Consilijs.
n. 80.

Anser Tubicen.

Virgil.

Ridicula bellicosi Anseris adhortatio.

vendenda suat tunicæ, emendi gladij, & agmine facto in Jesuitas omnes irruendum? Proximum est, ut & Cuculli vendantur ad emendum sclopetos, catapultas, bombardas: totum namque tunicarum pretium absument forsitan emptio gladiatorum. Sic nihil deerit ad Martiam Religiosi exercitûs aciem congruentibus armis instructam. Quàm pulchrum! quàm gratum spectaculum Deo, & Angelis, & hominibus, videre Cistercienses Monachos, Cucullis exutos, Tunicis nudatos, gladijs, & sclopetis obarmari, & terribile formatos in agmen, toto impetu percurrere Jesuitarum domos, ibique nullâ morâ linguas abscindere, aures præcidere, manus amputare, strages & ruinas edere memorabiles? Talia tu, pacatissime Anser, inuere, & mente volvere potuisti non ebrius, non demens, non insanus? At, inquis, *vim vi repellere licet*. Sed est nè vis hostilis, igne, ferroque propullanda, factum obicere publicum, & confessum? Fæ esse calumniosum, & Religioni tuæ graviter noxium. An ideò repellendum gladio, & occisione? En inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septembr. an. 1665. propositionem 17. : *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit.*

Consist.
num. 78.

31. Dices forsân, hæc à me accipi nimis crudè ad invidiam tibi conflandam; cùm Tu non nisi metaphorico sensu de ferreis & igneis armis fueris locutus: dum enim nominasti *gladios, enses, tela, sagittas, & tormentorum strepitosa genera*, non aliud intelligi voluisti (ut tu te ipse interpretaris) nisi *verba expræbrantia, injuriosa, impudentia, mædica, mendacia, criminosa, & his similia*. Textus hic est tuus; cui continuò subjungis: *His Nos etiam gladijs armati, & succinili fumus, eo profus sine, quo Salvator Mundi Christus Dominus Discipulos suos, venditis Tunicis, armatos esse voluit*. Belle! Discipulos ergo suos voluit Christus Dominus armatos esse *verbis impudentibus, injuriosis, maledicis, mendacibus, criminosis, & similibus*: atque his ipsissimis armis, si tibi credimus, *armati, & succinili* sunt Cisterciensis; non ad occidendum statim, sed ad terrendum; si quando tamen opus fuerit, *debito servato modo*, ad invadendum, & conterendum. Jam igitur Te ipso teste irrefragabili constat, arma fulminea, quæ in Jesuitas intorquenda reserves, præter intorta hæc usque, *verba esse impudentia, injuriosa, mædica, mendacia, criminosa, & nihil aliud*. Ac ne tibi copia desit gladiatorum hujuscemodi, paratus es vendere tunicam, si nondùm vendidisti. Talia cùm diceres, itatim rogo, statim sobrius eras? mente integrâ? capite sano? Ninge momento temporis, tanta Societatem calamo scripsisse Mûlvi, ut Congregationem tuam infamaret. Relege (si aũ mundo legisti) propositiones 43. & 44. inter proscriptas ab Innocentio XI. die 2. Mart. an. 1679. ut videas, an *verbis impudentibus, maledicis, mendacibus, criminosis*, tibi propterea integrum fuerit contra Societatem, sine lethali culpâ depugnare. Dicat nunc iterum Terentius: *Hau, hau, mi homo, jufusne es?*

Ibid.

Ibid.

32. At, rursùm inquires, cultello, & falce puniendus erat

Inverecundus Milvius; quippe qui malignum addidit ad exprobratas lites commentarium, dum exortas dixit *ex iniqua regendi*, atque *crumenas ditandi avaritiâ*. Malignè id quidem, temerè, procaciter, calumniosè prolatum: non tamen alienum prorsus ab ijs, quæ lite fervente Cistercienses ipsi, alij de alijs advertæ partis, evulgabant: nec tu multum dissentire videris, qui Cistercienses tuos hæc in rê non aliter exculas, nisi per *humanæ nature fragilitatem*, & *quasi insitam dominandi propensionem*, quæ vel in ipso Apostolico Collegio non absimilem inter ipsos Domini Discipulos moverit turbationem, dum facta est inter eos contentio, quis eorum videretur esse major. Id ipsum disertè comprobavit Cisterciensis nobilis, qui cum amico Jeluita familiariter aliquando colloquens de sui Ordinis dissiidijs, tunc temporis nondum penè sopitis, non sine sensu doloris exclamavit: *Ab! mi Pater: Si Cistercienses Abbatia non plus haberent emolumenti, quàm Prælatuæ Societatis, citò conquiesceret motus animorum, vel nunquam fuisset inter Nos consitatus*. Hoc me à teste fidedigno accepisse memini. Si tamen credere recusas, & vel me, vel teitem meam magis sicere mendacem, non idèò gladium evaginabo, nec ven lam tunicam ad emendam.

33. Me, fateor, tremefacit exemplum, à te commemoratum, Petri stringentis gladium, & Malcho amputantis auriculam. Nec scio quare non commemorasti pariter sententiam Domini competentis Discipulum, & insipientis: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Omnes? ergo & Cistercienses, si (quod absit) ichismaticum clamorem audierint perstreptantis Anseris. Ut ut sit, hoc saltem certum, atque perspicuum est ex huicque deductis, quòd Anser, unâ cum Palumbo, *concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Satiùs satiet ridiculum Murem peperisse: nunc enim *convertitur dor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*. Utinam Anser iste solertiam imitaretur Anse um turmatum è Cilicia volantium, qui Taurum montem transituri, metu Aquilarum, lapidem ore capiunt grandem, teste Plutarcho; sicque obturato ore strepitum garrulicatis continent tantisper, dum periculum prætervehantur.

S. V.

LEPIDUM IN CORPORE JURIS PRIVILEGIUM AN SÆPITIAM
maledicam excuset?

34. SED me miseram! qui Judices meos, imo & totius humani generis, accusare, & condemnare sum ausus. Quidni reus sim mortis? Mysterium pauidam spectacu dignum. Notavit Te, doctè Anser, & fugillavit Milvius, quòd è Monacho repente Judex evaseris, dum priorem tuum Libellum inscripsisti *Judicium*. Tu verò, ut ignorantiam ejus plusquam sopinam arguas, ac retundas, insultantis, & exultantis habitu singulare Privilegium ostentans in Corpore Juris tibi concessum. *Non solum*, inquis, *ex motu proprio, sed ex certa scientiâ, & de plenitudine potestatis manus istud accipere pro Libello vultis*. Id enim mihi à Jure venit, & Jure cantatur, scilicet quòd *sen, & possim esse Judex, etiam in causa proprio,*

Excusatio
inutilis.Consti-
tum. 80.Distam cu-
justam Cis-
terciensis.

Matth. 26.

Favoris exi-
tus.

Psal. 7.

Ibi.

Consti-
tum. 3. & 4.
Anseri Lib-
tura maledi-
ca.

quis Monachus sum Cisterciensis. Hic sanè est Cisterciensium incomparabilis privativus honor, in Corpore Juris omnibus legentibus pervius. Tum remittis nos ad Felinum, Tiraquellum, & alios: atque ita pergis: Hinc ego Judex cum sim, & possim esse, jure merito Libellum meum inscripsi Judicium. ::: Eapropter, & super hoc ego te judico, & judicabo; sed non sicut judicavi Tuos in notis, benigne scilicet, lenitè, comitèr, & modestè. (Quàm verum hoc sit Prodronus luculenter ostendit.) Hem convictionem Milvi peremptoriam. Quid opportunius? Jò, triumphe.

35. Sed ignosce, lenissime Judex, imperito Milvio. Nesciebat ille, nesciebamus & omnes, qui non multum in Corpore Juris versati sumus, nesciebamus, inquam, Cisterciensi Monacho sufficere professionem suam, ut nullâ denuò factâ potestate vel à Papa, vel à Rege, vel ab alio Præfule, vel Magistratu, nullâque Jurisdictione insuper additâ, Judex *pro libito* sedeat legitimus in quacumque causâ, & de plenitudine potestatis judicium exerceat in non subditos. Quòd Cisterciensis, ut & cujusvis Ordinis Monachus, à Jureconsultis habeatur idoneus, cui conferatur, etiam in causâ proprii Monasterij, potestas judicandi, haud erat nobis inauditum; neque aliud innuunt relati à Te Jurisperiti. Ceterùm, quòd simplex Monachus Cisterciensis ipso Jure sit Judex, ut prætendis, & Judex quidem universalis, nullo discrimine causarum, utpotè plenitudinem habens potestatis, quâ suum ad Tribunal trahat reos quotque non subditos, vel certè subditos habeat cunctos mortales ex omni ordine graduque Reipublicæ, & Ecclesiæ (nullos tu excipis; nec potior est ratio, quare Jesuitæ sint tibi subditi magis, quàm Benedictini, Dominicani, Franciscani, Canonici, Episcopi, Senatores, Marchiones, Comites, &c.): Privilegium, inquam, illiusmodi, & prærogativa prægrandis, quæ meritiò à Te vocatur *incomparabilis privativus honor*, licuit nobis indoctis hucusque nescire per ignorantiam invincibilem.

36. Laudanda est summoperè moderatio tua, qui, cum facile possis, non statim justitium edicis Tribunalibus, & Curijs universis, nec Judices inhibes Ecclesiasticos, & Regios, ut ad Te causas omnes Regularium, & Sæcularium de plenitudine potestatis avoces. Tanti apud Te ponderis est amor Chori, Solitudinis, & Eremiticæ. Quinetiam (mirabile dictu !) potestate tuâ uti noluisse pro nuperrimis Congregationis tuæ litibus dirimendis, cum nihil esset proclivius, quàm eas Te Judice reddi non jam panè, sed plene sopitas, imò ab initio decidi, vel præcidi, totamque prædilectæ Nationi victoriam adjudicari; siquidem *pro libito* poteras esse Judex etiam in causâ propriâ. Fortassis obstitit sodalis Palumbus, oppositæ factionis ductor strenuus; qui, cum parem haberet in Corpore Juris plenitudinem potestatis, judicium tuum contrario elideret judicio, nec facile fineret suam tyrannidi succumbere Nationem. Quamobrem necesse fuit pendulam dnu manere caulam inter

———— infestis obvia Signis

Signa, parè Aquilas, & Pila minantia Pilis.

37. Vereor, ne talia cum pensitaveris Milvius, inverecundè

ri-

Amplitudo
Prætura.

Moderatio
Anseris in usu
Fratura.

Lucan.

rideat, & ad ridendum invitet Benedictinos. Ridebunt saltem, vel non invitati, Jurisperiti omnes: ridebit & Heraclitus ipse. Ego tamen vel mullitare, vel tacitè subridere non audeo, tantorum Judicum potestate perterritus; præsertim cùm eos videam Prætores simul & Lictores agere, simulque officium assumere Judicum, & Carnificum. Ferant illi, per me, sententiam ad libitum, etiam contra modestiam, contra charitatem, contra humanitatem, contra Decalogum.

38. Tantummodò apud me recogitabo tacitus illam Simplificij Papæ sententiam, *Privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate*, quæ habetur cap. ubi dist. 74. cap. privilegium, 11. quæst. 3.; quâ etiam utitur Innocentius III. in cap. licet, de regular., & in cap. ut privilegia, de privil., & in cap. contingit. 2. de sententiâ excommun.; idemque ferè habet in cap. 1., & 7. de postulat. præben.; & Alexander III. in cap. recolentes, de statu Monach., ubi Gloss. verb. *communi jure*. Est autem abusus eâ poenâ dignus, quælibet indiscreta extensio privilegij, de qua loquantur cap. 1. & 2. de postulat. prælat., & latius dictum cap. ut privilegia. Juvat lex qui sine, ff. de negot. gest., & optimè lex 42. tit. 18. partic. 3., ubi Gregor. Lop. Gloss. ult. varia exempla ponit eorum, qui prætextu privilegiorum aliqua faciunt vel ultra privilegium, vel etiam contra illud, & alia jura adducit. Recogitabo pariter sententiam Magni Augustini serm. 247. de temp.: *Judicio legum jurè ab obtentâ dignitate deficitur, qui privilegio sibi concessô abutitur*. Dum enim dixit, *deficitur ab obtentâ dignitate*, satis demonstrat integram, & absolutam privilegij privationem. Item sententiam S. Isidori Etymol. l. 18. c. 17.: *Jure autem disceptare, est justè judicare; non autem est Judex, si non est in eo justitia*.

39. Recogitabo insuper doctrinam Melliflui Bernardi, quosdam è Cisterciensibus suis, C'uniacensi Ordini detrahentes, ita increpantis in Apolog. ad Guillelm.: *Primò, quid ad vos d' alienis servis? Suo Domino stant, aut cadunt. Quis vos constituit Judices super eos? Deinde, si ita, ut dicitur, de Ordine vestro præsumitis; qualis Ordo est, ut antequam de suo quisquam trabem ejiciat, in fratrum oculis tam curiosè festucas perquirat?*

40. Recogitabo prætereà Edictum memorabile Illustrissimi Domini Don Fr. Antonij de Soto-Major, Generalis Hispaniarum Inquisitoris, quod incipit: *Considerando lo mucho que importa, que las Religiones sean veneradas de los Fieles, y que se eviten las ocasiones, que pueden dar motivo à los Hereges, que de ordinario en sus Escritos procuran desacreditarlas, por ser las que con libertad christiana impugnân sus falsos dogmas*. Addit: *Por ende, usando de la autoridad Apostolica à Nos concedida, por el tenor del presente mandamos, que qualquiera persona Ecclesiastica, ò Secular de estos Reynos, de qualquiera estado, condition, dignidad, ò prebeminencia que sea, que desde el dia de la publicacion de este nuestro Edicto, injuriare à las Religiones, ò Religiosos de fuerte, que redunde la ofensa, ò injuria en la Religion, assi sea la dicha ofensa, ò injuria becha de palabra, en Pulpito, ò Cathedra, ò por escrito,*

Privilegium cuncta judicandi amittere debet An ser,

Ex jure,

Ex S. Augustino,

Ex S. Isidoros

Ex S. Bernardo,

Edictum Sanctæ Inquisitionis maledico Anselmi formidandum.

ò ayudaren à ellos; incurra en pena de excomunion mayor. Subdit poenās alias, & exprimit speciale motivum sic statuendi: Para que de todo punto cesen los atrevimientos, que estos dias se han visto publicando libros sin Autor, lugar, ni Impresor contra la Religion de la Compañia de Jesus, y sus santos Institutos, imponiendoles falsamente leyes, e instituciones politicas, indignas de su Sagrada Religion, con animo de infamarla, y desacreditarla con los Fieles (à lo que parece), y estorvar el fruto que hace en servicio de la Santa Iglesia Catholica, y para quitar del todo su memoria, y castigar en ellos à sus Autores, en lo que se puede, con parecer de los Señores del Consejo de su Magestad de la Santa General Inquisicion, acordamos se quemassen publicamente (y assi se executò) por impios, calumniosos, y azenos de toda verdad, el Tratado, &c. Tres ibi Libellos contra Societatem editos nominat, publicè crematos manu Carnificis, è quibus hauita sunt pleraque in *Theatro*, in *Tubis*, & in alijs Libellis erudito Anseri familiaribus, deindè vulgata. Datum est autem Edictum, ut sequitur: Dado en Madrid à 30. de junio de 1634. Fr. Antonio Arzobispo, Inquisidor General. Por mandado de su Señoria Iustissima, el Licenciado Don Sebastian de Huerta. Està señalado de los Señores del Consejo de su Magestad de la Santa General Inquisicion. Ortiz. Pacheco. Fariñas. Salazar. Frias. Zapata. Ibarra.

41. Excommunicationis fulmen, in Edicto vibratum, nullo negotio vitabit Anser de plenitudine potestatis; nec aliā egebit evasionē. Frustrā quippe Censuram effugere tentaret, eo quòd ab expresso *Jesuitarum* nomine (licet non *Societatis*) in Libello suo abstinuerit: hoc enim facile suffugium præcluserit Angelic. Doctor, calumniatores Ordinis sui, præcuriores Anseris, ita redarguens: *Quid intendant, ostendunt, Eos enim quos infamare nituntur, ita notificant, ac si eos exprimerent nominatim. Nihil enim differt dicere Socratem, & Sophronisci filium, si solus sit Sophronisci filius Socrates.*

42. Hæc, inquam, omnia recogitabo mecum in silentio. Non enim eousque sum temerarius, ut tremendos irritare Judices ausingi objiciendo scilicet, quòd magnificum omnia judicandi privilegium per abusum amiserint enormem; quòd à Dictatoriâ dignitate in *Corpore Juris* emicante fiat miserè dejecti; quòd rei maneant duriusculæ inerepationis à Parente Mellifluo prænuntiatae; quòd Excommunicationem majorem incurrerit Anser, ut qui flagitium huic censuræ subjectum perpetraverit in terminis, ut ajunt, terminantibus. Talia dicat Philithæus aliquis, non Ego. Judex universalis à nemine judicatur.

§. VI.

GARRULITAS ANSERIS, ET PALUMBI SODALIS,

quàm plausibilis?

43. **M**Irum, quàm gloriosum incedat pugnacium par Volucrum, & triumphato Anonymo Milvo. Sed Anser imprimis, ne plaudentibus videatur ingratus, quos acceperit plausus modestè prædicat. *Libellum meum, inquit, non feci, nec ignobiles laudant, plaudunt, & usque ad sidera tollunt. Loquitur de priore Libello Judicij nomine in-*

fig.

Opusc. 9.
c. 25.Gloriatio
ana.Consi. 7.
156.

figuito. Multò autem gloriantius loquetur, & sentiet de *Confictu spectabili*; quippe quem non secundis duntaxat curis, sed centuplò majoribus elaboratum edidit. Materiam plausibus utriusque Volucris copiosam præbet invicta & victrix argumentorum efficacitas, necnon eruditio multiplex & exquisita: sed præcipuè in Anseris sal, & piper, quæ *plausibiliter* (ut ait ipse) Libellos condit suos, efficitque sapidos, ac persalios. Leporem augeat jocosè versiculi, & falsamenta quædam ex historiâ Quixoti gentilis sui, & Celestinæ Matris: atque omnia hæc plausibilia reddat styli puritas, & elegantia incomparabilis.

44. Propter hæc, ac potissimè propter innatum maledicentiæ saporem, non paucos esse, qui Libellis, præsertim Anseris, applaudant, haudquaquam inficiabor: nullus enim scurra maledicus tam malè scribit, qui non plurimos lectores inveniat similes sui, pedibus & manibus plaudere paratos. Interdùm etiam jocos scurrilibus ardent Viri non ignobiles: ut cùm vident seridè jocantes, & fatua multa dicentes in scenâ rusticanam Prætores, hispanicè *Alcaldes de Entremés*: vel cùm legunt in historiâ Quixoticâ duos illos pagorum Prætores lepidos, qui cùm ad revocandum Alcellum rudissè peritissimè, postea in prælium contra irritores instructâ acie processerunt, hanc in vexillis tesseram præferentes, uncialibus litteris scriptam, *No rebuzaron en valde el uno ni el otro Alcalde*. Nemo ergo negaverit Libellos Anseris ad sydera tolli; saltem eâ ratione, quâ tolluntur ad sydera stridentes pyroboli, ut edito strepitu, & fulgure corusco, protinùs in fumum abeant inanissimum.

45. Specimen salis & piperis exhibet Anser, cùm de vino, & ebrietate differit. Sic ille ad Milvum eleganter: *Ut me astuantem vino, temulentum, ac denique Ebrium vocites, si fas est dicere, timidè pronuntias. O! timorate nimis! ... Fas est. Fas. Fas tibi, fas Aurigis, fas Curricularijs, quos vulgò Caleferos vocamus, & bis similibus; ita loqui. . Vocita Ebrium. Fortiter inclama, &c.* Hæc ut legi, sine morâ quæsi quid super temulentiam diceret Anonymus Milvius: & sine morâ imposturam comperi Anserinam. Neutiquam ille Te vocitat, bone Anser, *vino astuantem, temulentum, ac denique Ebrium*. Hoc unum dicit, scriptionem tuam non tam esse *Judicium*, quàm *Apprehensionem illis band absimilem, quas lato per se capiti excitat in somnijs liquor Mombeltranicus, quo tua Cella (si fas est dicere) vinaria abundat*. Ubi tò si fas est dicere, petita venia est pro usu vel abusu sacre vocis *Cella vinaria*. Hoc facitè, si latinè nosset, per te intelligeres; nec alienum sensum assingeres verbis Anonymi. Hilare somnium, mi Anser, etiam mero excitatum, non est temulentie, vel ebrietatis argumentum, alioquin eos omnes, qui vini haustu dulces crebrò somnos, lætaque somnia sibi conciliant (quales in Germaniâ, Galliâ, & in Hispaniâ ipsâ multos inventes viros probos, ac sobrios) inter ebrios, & temulentos rigidè computabis. Quinimo temulenti vix somniant; sed vaporibus obruto cerebro, lethargicorum more dormiunt.

46. Quòd vinum largiter bibas, tu ipse nos doces, dum postrelata verba subjungis: *Sed beu Tu! Fratercule mi, scito, ac benè ani-*

Confict.
num. 21.

*Non rarò
applauditur
scurrilibus.*

Confict.
num. 5.

*Impostura
de nomine
Ebrius.*

Confict.
num. 6.

Quid Anser
de Cellâ suâ
fateatur?

madverte, me ebrium esse, non quod tu dixeris, sed quod ego largiter bibam Mombeltranicum, Lucenicum, Peralticum, & alia Vina e Mantua, vel Marcâ Toletanâ (olim Spartariâ) optimè fragrantia, quibus Cellâ mea vinaria, Apotheca pretiosa, redolet, & redundat. At ex largâ vinorum hujusmodi bibitione resultare somnia, & ea quidem in capite per se læto læta & jucunda, quid pronius? Nec quidquam probat, quod alio in loco dixit Milvus, sobrietatem in verbis tuis desiderari: nam verborum sobrietas desideratur etiam in locutuleis hominibus, qui vel aquis immerfi tanquam ranæ perpetuò coaxant. Nunc venit in mentem quod olim de quo tam, typo fortasse tuo, Romanus ajebat Orator: *Bibis invidiosè, delinquis studiosè, loqueris odiosè.*

Cic. Ad He-
renn. l. 4.

Legitimæ
causæ biben-
di.

47. Crede mihi (hoc dixerim ad solatium tuum), etiam si vinum sæpè bibatur, & quidem largiter, nequaquam probro vertitur honesto viro, dummodò justa sit causâ bibendi. Quod si fortè nescis, quotuplex est causâ omninò justa, versiculos accipe notissimos:

Si malè non memini, causæ sunt quinque bibendi:

Hospitis adventus, præsens Sitis, atque futura,

Et vini bonitas, & quælibet altera causâ.

Jam vides, in causâ quintâ, quæ continetur verbis illis, & quælibet altera causâ, sponte comprehendi causam bonè dormiendi, & hilaria somniandi. Proinde non est cur Anonymi Milvi dictum erubescas, neque cur nobis insinues dubitare multos (proh! quam injuriè!), an de vinis Cellæ tuæ bibas. Estò sanè bibaculus; sed noli esse delicatulus. Ingravescet podagra: sed quid inde?

De mysticâ
ebrietate.

48. Gloriaris postmodum, quod vinum Cellæ tuæ mistum bibis cum lacte sanctæ educationis Ordinis Cisterciensis. Hoc non modò tibi gratulor, sed & mihi: nesciebam enim, largum Peraltici haustum amico federe sociari cum educatione tam sanctâ. Vereor tamen, ne gloriatione istâ scandalizentur Cistercienses tui: quorum plurimos exemplo Bernardi Parentis hydropotas, & abstemios esse minime dubito. Prolixum verò, quem texis, mysticorum catalogum Ebriorum, prætermittere poteras nullo scrupulo. Notum quippe satis & mihi, & omnibus, Cistercienses Monachos ex ijs esse, de quibus ajebat Regius Psalter: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Si libitum mihi tempus terere in recensendo è sacra Jesuitarum, quos tanto supercilio despicias, Familiâ similes Ebrios, vel ex uno Regali Collegio Salmanticensi longiorem multò recensionem tibi facile redderem.*

Psal. 35.

Cujusdam
Concionatoris
hystoriola.

49. Forsitan in elencho tuo desidet quis Cisterciensem illum, qui Vallisoleti anno proximè elapsò in Concione ad Populum dicere non dubitavit, Christum Dominum in favoribus Sancto Bernardo largiendis ebrium se ostendisse: Hispanicè, *Christo anduvo berracho en favorecer à San Bernardo*: postea tamen, finita Concione, verbum, inquit, mihi ad Ves auditores: *Christu, baid quaquam ebrius; sed Concinnator, qui tale quid protulit, ebrius fuit*: tum adducto cuculo, quasi blasphemiam satis diluisset, è suggestu descendit. Hunc igitur ebrium quare non interumis elencho tuo, mutabitur aliquis: sed te fortè defecit memoria senilis.

De-

30. Decentissima porro est allegoria, qua mysticos tui Ordinis Ebrios asseris, *Thyrso feventes manibus, ut Cultores Dionysij, vel Liberi Patris* (Bacchi nomina ista sunt) *in Cœlum evolasse, ubi in aeterno illo convivio Ganymedi felices* (transcribo fideliter loaxillimum), *antiqui moris non inmemores*, (moris nempe Mœnadum) *vina coronant, pocula exbauriunt. Appositè, pulchrè, oprumè! Quis te neget insigniter eruditum, & mythologò mysticam? Mirum, quòd non eos dixeris in Cœlis Orgia celebrare, & Bacchanalia vivere, postquam in terris Curios egerunt. Memini me aliquando legisse apud Maximum Doctorem Hieronymum: Absit ab ore christiano Jupiter omnipotens, & Meberculè, & Mecastor, & alia magis portentosa, quàm Numina. Quid Hieronymus diceret, si Cistercienses heroes in Cœlum evolantes, cerneret ore christiano, & Monachi i comparatos Cultoribus Bacchi? videlicèt hominibus antiquo more furentibus, insanientibus, mero fatentibus, turpissima patrantibus, atque hoc pacto colentibus Temulentia Numen ex adulterio Jovis cum Bemele conceptum, & Priapi, turpioris adhuc Numinis, ex Venere genitorem? Quid? si etiam Ganymedi comparatos cerneret, impurissimo Jovis cœclo, qui raptus in Cœlum libidinosa unguibus Aquila, Cœlicos honores meruit jacturà pudoris?*

Allusio prophanà, & comparatio absurda.

31. Sed Tu, scitissime, ac lepidissime Anser, fortasse privilegium & potestatem habes *in Corpore Juris*, ut non solum Pinij, sed Hieronymi quoquè despicias Criticem, nobisque veri Dei Cultores, verolque Cœlicolas, sub alegoriâ prophanâ & indecentissimâ repræsentes. Reliquum est, ut, quoniam te numeras inter mysticos Vinæ Cisterciensis Ebrios, Cultores Bacchi, temetipsum, utpotè senem, nec satis firmum pedibus, cum Sileno compares, & in Cœlum pergas more Sileni, de quo cecinit Naso:

Confessarium de Sileno.

Quique senex ferulâ titubantes ebrius artus

Sustinet, & pando non fortiter haret asello.

Utinam asello tuo tam parùm fortiter hæreres, ut ex eo cadere aliquando scires! Hispanicè *caer de tu Asno*. Poderis etiam multo cum sale tibi accinere quidquid Virgilius de Sileno canit: ut,

Silenum pueri somno videre jacentem,

Instatum hesternò venas, ut semper, faccho,

Serta procul tantum capiti delapsa jacebant:

Et gravis attritâ pendebat cantharus antiâ.

Et reliqua.

32. Sed quandiu in terrâ degis, & optata tibi differtur Ganymedis felicitas, exilium consolare tuum, cum Statio Poeta morosâ delectatione decantans:

Medijs videor discumbere in Astris

Cum Jove, & Iliacâ porrectum sumere dextra

Immortale merum.

Intereâ fruire tuo illo, quo mirificè exultas, sale & pipere, nec te tædeat affuso largiter Mombeltranico soporiferum irrigare papaver: nam & ego, magisterio tuo Poeta, dormienti adblandiar cantilenâ Latino-hispanicâ:

Sal pro Sale

AUCUP.

Piperatus, & potus;

Dormi lætanter:

Piper Bacchum invitat,

Bacchus papaver.

Disertior quidem cantiuncula tua, *Rimbombantis stella*, &c., licet nihil significet: sed nobis (ut cum Martiali tibi dilecto loquar), *Nobis non licet esse tam disertis*, — *Qui Musas colimus severiores.*

53. Sed heus, panè memorià exciderat Celestinæ Matris dictum festivissimum: quæ, num vinum biberet, rogata, respondisse fertur hispanicè: *Si biço, si, y siempre que lo bebo, me relamo.* Responsum hocce, velut tibi congruam, falsè celebras. Sed illud cur tibi accommodes, haud facile dictu. Qui enim ad satietatem bibunt, labra non lambunt; præsertim si pro futurâ siti cautionem habent in promptu. Quia tamen cæcubum cum sanctæ educationis lacte permisceas, & cinnum conficis utriusque liquoris; omnino crediderim, Te, quoties cinnum potas educatione istâ sapidum, non modò labra, sed totum oris ambitum intus & foris exquisitè lambere, ac relambere: nulla quippe in labijs guttula, nullum in ore tuo vestigium apparet sanctæ educationis, etiam si microscopio quærat: imò nullus odor in halitu: adeò curiosè fauces, guttur, & præcordia ipsa relambisti. Securus poteris de sale certare cum Celestinâ Matre: vinces absistubio. Si tibi, quod nescio, nomen esset *Joannes*, genio tuo libenter adularer hispanâ cantiunculâ:

*Si no buyera Juanillo**Mas en otro elemento**Tanto del agua,**Vive Juanillo;**Por su sal, y gracejo**Y hà perdido lo Rana**Fuera Juan-Rana.**Por lo Mosquito.*

Hæc precor ne molestè feras: tua namque jocandi prurigo me quoque contagione quadam infecit & nolentem impulit ad scurrandum.

§. VII.

STYLI PURITAS, ET ELEGANTIA UTRIUQUE VOLUCRIS,

quàm digna plausibus?

54. **L**atinitatis peritiam in Palumbo qui scrupulosè discutiat, censorem se probabit morosum. Suam Palumbus format latinam syntaxim, *Qualemcumque potest, quales ego, vel Cluvienus*; vel potiùs qualem assequi solent recens initiati regulis Grammaticæ, dum hispanica in latinum vertunt, & peregrinæ linguæ difficultatibus obliuctantes, præscriptum à Magistro pensum elucubrantis multâ nocte paginulis absolvunt. Bono viro, & *humili Monacho*, hac in re benigne parcendum. Solum ipsi Latij nimis lubricum. Quare, licet lapsus admiserit, tot fortè, quot vicies vapulando sufficerent, si adolescentulus adhuc in mediâ Grammaticorum classe versaretur; grandavo tamen Judici, qui te ad latinè scribendum accinxit *Candidior postquam tondenti barba cadebat*, non oportet de solæcismis, ac barbarismis movere litem invidiosam: præsertim cum ille non ita, ut Anser, de piperato stylo, & salito lepore jactanter gloriatur.

*Juvenal.
Palumbi latinitas.*

Ac-

55. Accedit, quòd Palumbus ipse græcæ linguæ peritia compenfat abundè, quiddid in eo latinitalis desiderari posset. Nam cum anonymus Milvus Continuatores Bollandi vocaverit *Hagiographos*: hoc (inquit Palumbus) *genus idolatriæ est*; cum hoc sanctum cognomen sive epitheton sacris Scriptoribus solùm competat; nam componitur ex *Agios* & *Graphos*, quod est sanctus Scriptor; ast Antuerpienses, etiam si Scriptores sint, Sancti non sunt, nec ullus eorum hucusque ab Ecclesiâ canonizatus. Hinc admonet severus Judex, delendum illud encomium *Hagiographos*, quod, propter ignorantiam græcæ linguæ, redolet quandam *Idolatriam*. Quid curiosus? Nec ipse Demosthenes græcissaret amænius. Quis tamen os obstruat inurbano Milvo, ne dicere tentet, Palumbum non minùs græcæ, quàm latinæ linguæ (proh! quantam hyperbolem!) se se inficium ostendere?

56. Nam, ut omittam (inquiet), quòd bis *Idolatriam* dicit pro *Idololatria*, necnon *typographiam* pro *typographia*; si standum sit ethymologicæ scientiæ Palumbi, sequitur: quòd *Geographus* erit Scriptor terreus; *Hydrographus*, Scriptor aqueus, vel aquosus (saltem Anser hoc sensu non est *Hydrographus*, sed *OEnographus*); *Theologus*, Dissertator divinus, vel *Dissertator Deus*; *Martyrologus*, v. g. Uluandus, *Elocutor martyr*; *Hagiologus*, v. g. Cardoso Lusitanus, *Sermocinator sanctus*: & similiter interpretanda erunt alia quamplurima. Patiatur igitur bonus Palumbus, ut quemadmodùm dicitur *Hagiologus*, & *Martyrologus*, qui de Sanctis, & Martyribus eloquitur, *Theologus*, qui de Deo, rebusque divinis, *Biographus*, qui de Viris scribit, *Cosmographus*, qui de Mundo, & sic de reliquis, & dicitur etiam *Hagiographus*, qui de sanctis hominibus, sanctisque rebus ex prof. sso pertractat. Frustra verò, & ineptè contingit nomen *Hagiobiographos*, quasi Bollandistis congruentius: non enim cò tendit Bollandistarum labor, ut Sanctorum Vitas scribant ipsi, sed ut scriptas à cœvis perquirant, aut ab alijs descriptas cum cœlectu colligant, ac deinde Commentarijs, & Annotationibus illustratas edant.

57. Porrò ex doctrinâ Palumbi sequitur, genus esse idololatriæ Salomonem inter *Hagiographos* computare; cum Salomon catalogo Sanctorum non sit adscriptus, imò sententiâ multorum & gravissimorum Interpretum æternis ignibus damnatus ardeat. Nec item canonizati sunt quorundam Scriptoræ sacre Librorum Authores incerti (de secundarijs loquor, nam primarijs Author utique est Spiritus Sanctus), ut Machabæorum, Sapientiæ, Judith, Tertij & Quarti Regum: qui proinde Scriptores non nisi idololatriæ nuncupari poterunt *Hagiographi*. Adde, quòd Palumbus ignorare videtur nomenclaturam ex Hieronymo Divinorum veteris Testamenti voluminum partitionem in *Legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa*; & quæ ad tertium membrum spectant, idcirco *Hagiographa* dici, quòd Scripta sint sancta, deque rebus tractantia sanctis, non verò quòd a Sanctis & canonizatis hominibus elucubrata fuerint; alioqui de numero eorum expungenda essent Proverbia, Canticum Canticorum, & Ecclesiastes. Sed Palumbo sat fuit in Calepino legere, quòd *Hagiographa* dicuntur Scripta sacra in Scripturæ Divinæ recepta Canonem; ut statim Milvum vel

Columb. in
Append. n. 5.

Curiosa de
nomine Ha-
giographos
animadvert-
sio Palumbi.

Quàm frivo-
la, & impe-
rita.

Sequela ex
doctrinâ Pa-
lumbi.

Ejusdem
inficientia.

lut ex tripode pronuntiaret idololatriæ reum. Hæc & alia fortasse porcina buccâ grauiet Anonymus ille *Sus, stolidus Presbyter*, è *volubro surgens, qui salmazinum hordeum comedit*, sicut *Equus, & Muius*: est enim aded irrationalis, & mala bestia, ut reverendum Palumbi Magilratum in *Corpore Faris* assertum agnoscere non queat.

Solæcismorum Anseris manipulus.

58. Venio ad Anserem, cujus elegantissimum, si Superis placeat, eloquium plausibus ad sidera tollitur. Sed ipse mihi protinus obstrepet. Ehò, nonne mea est pura, tersa, venusta Latinitas? Verbo respondeo, Non. Vis, Anser, specimen strabiliginum, quibus uterque sordet Libellus tuus? Accipe. Ac primum ex *Constituta Spectabilis*: ubi legitur pag. 3. *Auferit pro ausus fuerit*: pag. 7. *contueri pro defendi*: ibid. *de foris pro forinsecus*: pag. 8. *Ganymedi fecices*, quasi esset *Ganymedi Ganymedorum*: pag. 9. *à confectis retrahentes* pro *retrahentes*, vel *confecta retrahari facientes*: pag. 10. *plurioribus* pro *pluribus*: pag. 13. *nonne vocavi pro nunquam vocavi*: ibid. *sine facu* pro *sine fuce*: pag. 14. *peto tibi* pro *à te*: pag. 15. *inter hunc & primum meum Libellum* pro *ex hoc & primo meo Libello*: ibid. *saipere* pro *salpiper*: pag. 17. *gratias Deo referam* pro *agam*, vel *habeam*: pag. 19. *res autorata* pro *autoritate munita*: pag. 21. *synchronomi* pro *synchroni*: pag. 23. *interpretarunt* pro *interpretati fuerant*: pag. 24. *auferit* pro *hausertit*: ibid. *audisse* pro *non audivisse*: pag. 27. *iurarunt* pro *iuverunt*: ibid. *non ausit* pro *non est ausus*: pag. 30. *abyssus* pro *abyssos*: pag. 31. *reflestit* pro *reflestitur*: pag. 34. *foliorum depopulatum* pro *folijs nudatum*: pag. 35. *medetur sectio* passivè: pag. 39. *compelleberis* pro *compelleris*: pag. 42. *subducere* pro *perducere*: ibid. *delira* pro *deliria*: pag. 52. *efflentes*, ut participium activum: pag. 54. *dicitur ratio, quòd, si unus tantum sit modus, hunc amplectendum esse*, solæcismus ingens: pag. 56. *cachinnandus* passivè: ibid. *qui (eques) apprehensa ejus manu, ... contigit ut casus innotesceret, manca, & prava syntaxis*: pag. 59. *apologi* pro *apologetici*: pag. 63. *consequutam* pro *obtentam*: pag. 64. *potuit fieri, ut... non satis comprobata fuisse documenta*, solæcismus immanis: ibid. *concernere Providentiæ* pro *concernere Providentiam*: Satis hæc ad specimen: nam id genus omnia subducere infinitum esset. Quædam ex annotatis incuriæ typographi tribuerem, nisi tu, mi Anser, in calce *Constitutis* curiosè notatiles errata multò leviora, etiam orthographica (quo in genere innumera prætermisisti tyroni grammatico non ignoscenda): eo namque ipso reliqua te omnia pro tuis agnoscere palam significasti; exceptio quippè regulam firmat in contrarium.

Barbarismorum fustululus, & Hispanismorum.

59. Nec tuos recentium barbarismos, in eo positos, quòd usurentur voces barbaræ pro latinis, vel quæ latinæ sunt, adulterentur: cujus generis haud pauca sunt in tuo pereleganti *Constituto*. Exempli causa, *raptibus scientiarum*, *Ita!*, *spelttrum* icemel & iterum, *specinem*, *borco*, *designium*, & nullâ petita verbo venia, *tunante studente*, *andantium equitum*, *aventuram*, *malandrinis*. Nec barbarismis annumero Hispanismos: v. g. pag. 12. *ubi punctus?* id est, *donde está el punto*, et *pundonor?* pag. 29. *meo qualicumque videri*, id est, *segun mi parecer tal qual*: pag. 35. *loquendo propter loquendum*, hispanicè *habiar por habiar*: pag. 59. *nam grandis debet esse*, hispanicè *tan grande debe de ser*. Mittere

alia similis elegantix pulcherrima exempla. Paucula ista in *Compactu*.
 60. Quod autem careat navis hujuscemodi prior tuus sub *Julicij*
 titulo Libellus, jurare nolim. Raptim nunc nunc à me relectus, offert
 num. 20. *genium* pro *genius*, num. 21. *si refutandam* pro *si refutanda*:
 ibid. *calenti* pro *callenti*: num. 22. *somnium* pro *somnus*, ibid. *displiat*
 pro *displieat*, ibid. *gnoma* in accusativo pro *sententiâ*: quos qui ro-
 tundè dixerit solacitimos, nequaquàm erit *nimius* Criticus. Prætereo
Datimos in utroque Libello creberrimos, quæ vitia sunt tibi forsan
 pro virtutibus habita. Hoc unum ex dictis colligam, non posse Te
 nisi per calumniam inter ebrios connumerari. Si enim, ut ais, *solem-*
nissimus ebrius fuit Caramuel, eo quod linguas septuaginta nosset, Tu,
 quem nemo dixerit polyglottum, & qui ne latinam quidem bene
 noit, vel aliam præter verbaaculam, proculeris ab ebrietate, præ-
 fertim solemnissimâ. Si posthâc ad Latium accedas, prius litare te
 oportet Deo Fabulino; sicuti Libero Patri, vel Potinæ Dæ con-
 suevisti.

61. Notulas hæc sine dubio contemnes, vel etiam tuis in *Cor-*
pore Juris prætoritijs Fascibus puniri jubebis. Qui navi sunt, quæve
 peccata in alijs, nec peccata, nec navi sunt in Judice legibus soluto,
 vel supra leges omnes evecto: nec sine blasphemiâ tentaret quis ad
 grammaticos canones adstringere Judicem universalem, cu loquendi,
 & agendi novum jus condere, & vetera abrogare datum est deluper.
 Qui Jesuitas, totamque Jesu Societatem censorio pugno colaphizat,
 an non poterit impune colaphizare Priscianum? Me quoque, latinif-
 sine Anser, tanquam minutijs inhærentem risebis, & irridebis egre-
 giâ tuâ jocandâ gratiâ datâ: cum ausim carpere, quod *alii non*
pauca, nec ignobiles ad sydera tollunt. Nec dubito, quin tibi aptissi-
 mam judices acclamationem, nuper cultiloquo cuidam Conciona-
 tori dicatam:

Vitor el Padre Crispin
De los cultos culto Sol,
Que el dia de San Martin
Habiò Español en latin,
Y Latin en Español.

Sic tibi acclamatam crederes, si Crispus esses, nec cerebrum habe-
 res *foliorum depopulatum*. Tetrici censores, iuribani, jocularia in
 Magistratu reprehendunt; consentque aliud loquendi genus congrue-
 re Judici, aliud Scurræ. Hinc illa in Senatu exclamatio Catonis,
 dum Consul Tullius coram Conscriptis Patribus jocaretur: *Dij immor-*
tales! quam ridiculum Consulem habemus! Si Catones essent Pinius, &
 Socij, exclamarent pariter: *Deus immortalis! quam ridiculum habemus*
Judicem in Corpore Juris! Sed Catones non sunt: ideoque taciti ride-
 bunt, vel potius attoniti suspicient ingenium tuum, leporem, sty-
 lum, & eruditionem exquisitam, de qua jam jam delibo nonnihîl.

Strabelligines
Libelli Judi-
cium.

Datismi.

Barbaries
Anseris à re-
prehensione
immanis.

QUANTUM AD PLAUSUS CONFERAT PALUMBI ET ANSERIS
eruditio recondita.

Exemplum
Cephe ut re-
jicias Anser.

Constit. n.
52. & seqq.

Infantia
Milvi.

Columb. in
Append. n. 8.

Ineruditi An-
seris lapsus.

62. **P**laudunt sibi non segniter Palumbus, & Anser de recondita, & opportunâ eruditionis copiâ, quâ Milvum indoctum, quoties se præbet occasio, debellant. Novum non esse, quod in V. Guilielmo notareur aliquid correctione dignum, contendebat Milvus anonymus; quandoquidem vel in ipso Apostolorum Principe reprehensibile aliquid aliquando notavit Paulus Apostolus. Sed hic de oscitantia Milvi triumphat eruditus Anser: tum quod ille cæcus non adverterit reprehensibilitatem Petri nobis certò constare testimonio Pauli: tum quod nulla sit in exemplo paritas, siquidem Petrus fuit reprehensus *in facie*, Guillelmus *à tergo*. Palmarem triumphum!

63. Caveto tamen, ne te iterum, bone Anser, protervus irideat Milvus. Nam Petri exemplum, quod certius est ex testimonio Pauli, eò fortius præbat, novum non esse quod vir alioqui magnus aliquando reprehensioni det locum. Si non adeò certum esset exemplum, negares abidubio. Quod verò reprehendere *in facie* virum magnum, & in maximâ dignitate constitutum, minus importet irreverentiæ, quam aliquid ejus notare *à tergo*, vel carpere in absentia, nescio an omnibus persuadeas. Reprehensio quippe in facie, præsertim à subdito in Superiorem, nisi ab altero Paulo fiat, irreverentiæ genus æstimatur, vel audaciæ non modicæ. Non ignorant Reges, Episcopi, Prælati Regulares, nec ægrè ferunt, sua quædam dispicere quibusdam subditis, & ab eis privatim colloquentibus, dum à Superiore audiri non metuunt, improbari. An puris, magis reverentes, mitiusque tolerandos fore subditos, si quò *à tergo* improbant, palàm, & in facie exprobrarent? v. g., si plebejus quispiam reprehenderet in facie Regem, si Clericus Episcopum, si Monachus Abbatem?

64. Sed super hac re novum de imperito Milvo triumphum agis, dum ille opinionem refert Harduini, Cepham inducentis ab Apostolorum Principe distinctum, qui reprehensionem Pauli meruerit. Hic Sodalis Palumbus, *Melius*, inquit, *erat ei Harduini rumpere caput*. Pulchrum effatum! quod tamen Palumbus *à tergo* dicit, non dicturus in facie, Harduinum si nosset. Sed tu, docte Anser, & Harduino, & Milvo caput rumpis censurâ blasphemix, vi scilicet privativæ tuæ cuncta judicandi potestatis. At, inquires, non ego, sed Hieronymus *blasphemiam Porphyrij* vocat Harduini opinionem. Macete virtute! Sed quid? si Milvus ille sycophanta reponere audeat, à te non intellecta, fortè quia latina sunt, verba Hieronymi? atque etiam ex modo loquendi tuo facis colligi, quod hæcenus Porphyrium ignoraveris, veterem & famosum Apoitatam, in historia Ecclesiasticâ nimis notum?

65. Philosophus iste Platonius, christianæ Religionis desertor & Lupinator impius, criminandum suscepit quicquid in Divinis legitur Scripturis, atque inter alta Petri, & Pauli subsidium: &

Petrum quidem inculpabat erroris, Paulum verò procacitatis, quòd Superiorem suum in facie reprehendere ausus fuerit. Ut blasphemam hanc repellerent criminationem, conati sunt Christiani nonnulli, Cepham alium de septuaginta discipulis, ab Apostolorum Principe diversum, Paulinæ subijcere reprehensioni. Lege Sanctum Hieronymum lib. 1. Commentar. ad cap. 2. epist. ad Galat., & planè videbis, si quid vides latinè, opinionem istam, quam imperitissimè tribuis Authori Porphyrio, potiùs inventam esse, ut obstrueretur os Porphyrio blasphemanti. Rejicit ipsam Hieronymus, non ut blasphemam, sed ut parùm consonam Scripturæ: nec probandam censet ex eo, quòd ad repellendum Porphyrium videatur idonea. Quo sensu concludit: *Ad extremum, si propter Porphyrij blasphemiam aius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita de Scripturis erunt ratenda Divinis, quæ ille, qui non intelligit, criminatur. Sed adversus Porphyrium in alio, si Christus juverit, opere pugnabimus. Nemo tam rudis erit, tamvè latinæ expertus, qui non videat à Hieronymo vocari blasphemiam, non quidem opinionem distinguentem Cepham à Cephâ, sed criminationem Porphyrij, quæ potiùs identitatem Cephæ reprehensam cum Apostolo Cephâ supponebat. Quid tu ad hæc, erudite Anser? Habes nè privilegium aliquod in Corpore Juris, quo te hinc eripias cum honore?*

66. Quòd inventionis gloriam in distinguendo Cepham à Petro deneget Harduino Palumbus, esto: nihil mea interest, quo saxo rumpat caput Harduini. Quamquam novum non est appellari Principem alicujus systematis, qui delineatum olim, & oblitteratum suscitavit, novâque luce donat, & novâ reddit probabilitate plausibile. Sic enim suorum in Philosophia systematum Principes appellatur Gassendus, & Cartesius, quamvis nihil ferè dixerint, quod non fuerit à prisca Philosophia adumbratum.

67. Sed arreptâ occasione Palumbus, quia, inquit, *insipientibus debitores sumus*, eruditionem ostentat reconditam in exponendâ, & elucidandâ quæstione veteri, ac perdifficili super memoratâ reprehensione Apoitolicâ: tandemque ut nodum solvat, concludit, Petrum in observatione Legalium omni prorsus culpâ vacasse, licetque, & iustè operatum esse; quia tamen Neophyti ex Gentilitate conversi occasionem inde accipiebant Legalia pariter observandi, ob quòd *nimis reprehensibilis erat operatio Cephæ*, idcirco sanctè reprehensum à Paulo fuisse. Quam solutionem nodi inextricabilis mirifice laudat, & extollit Palumbus, tamquam *lucem de cælo radiatam*, & superioris illuminationis doctrinam, quæ per potentiam dextera Excelsum viris infusa est sapientissimis, novam curantibus editionem Annalium Cardinalis Baronij: additque loco epiphonematis, *Fasta est hæc lætitia in Orbe Catholico litterario etiam absque impositione manuum Criticorum Anruerpensium*. Quid eruditus? Quid ad confundendum Milvium efficacius? Macte triumpho!

68. Sed quis furiosum contineat suam, ne grunniat adhuc, & cornibus omnia ventilet? Grunniat enim, ac reponet r., jam ipsius confusione Palumbi contingere posse, ut modernis Criticis (quales

Docetur Anser quod ignorat.

Pro Harduino nonnulli.

Indigesta Palumbi eruditio de reprehensione Cephæ.

Co.umb. in Append. n. 8. & 9.

Milvi replicatio multiplex.

utique sunt Editores Baronij) nova lux affulgeat ad aliquid in re antiqua videndum, quod veteres omnes Doctores, & Ecclesie Patres, nominatim Hieronymum, & Augustinum, rem ipsam diligentissime discutientes, penitus latuit. Cur ergo tantoperè carpitur Antuerpiensis Criticus, quèd in veteri narratione difficultates animadvertentit, plurimis antea doctis inobservatas? Reponet 2. eodem laxo, quo caput rumpitur Harduino, rumpi & Augustino, & Hieronymo, dum oppositæ utriusque sententiæ, quasi lætitiâ Orbi Catholico subtraxissent hæcenus, per *lucem de cælo radiatam* tamquam tenebricosæ nebulae dissipantur. Reponet 3., solutionem istam jam pridem à multis etiam Jesuitis traditam esse, ac melius expositam, nominatim à doctissimo Theologo, & historici Ecclesiasticæ scientissimo, P. Joanne Gisbert Societ. Jesu, in pereleganti Dissertatione, cui titulus, *Petrus Paulo concors, seu Discordia Petrum inter & Paulum salvo utriusque jure, & honore composita*: ubi pari & eruditione, & acumine rem discutit, & nodum extricat: id quod jam antea brevius quidem, sed solidâ, subtilique theologicâ profunditate præstiterat Eximius Doctor lib. 9. de Legib. cap. 20. Reponet 4., per explicationem hujuscemodi, ut à Palumbo indigestè proponitur, non extricari nodum, sed intricari. Nam si Petrus nihil peccavit, nec graviter, nec leviter, nec formaliter, nec materialiter (non enim ignorantia laborabat), quo jure dicitur operatio Petri non ut umque *reprehensibilis*, quod solum ait Paulus, sed *nimis reprehensibilis*, quod ait Palumbus?

69. At *nimis reprehensibilis erat operatio Cepha* (inquit Palumbus), *non ex intentione sancta ipsius operandi* (operantis dicendum erat), *sed ex occasione male receptâ, quâ abutebantur Gentes noviter conversæ* (scilicet ad observanda Legalia) *propter autoritatem magnam Petri, quam supra Concilium existimabant.* Doctè, & eleganter, mi Palumbe. Sed abste quæro, utrum occasio ista fuerit activa, an merè passiva? Fuerit nè *scandalum pusillorum*, & à Cepha datum; an purè acceptum, & Pharisaicum? Si primum erigas, quomodò Cephas omni culpâ vacavit, præsertim cum esset *ovilis ille Pastor, & Rector gregis*, qui oves errantes verbo & exemplo in viam reducere debebat? Si secundam optes (ut in licis verbis illis, *ex occasione male receptâ, quâ abutebantur Gentes, &c.*) in primis non explias, nec explicabis facile verba Pauli, qui *simulationem* in Cepha notavit, illumque simul cum imitatoribus videtur comprehendere cum ait, *quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelij*, unde & Cepha dixit coram omnibus, *Quomodò Gentes cogis judicare?* Deinde propter scandalum passivum, pure acceptum, seu male receptum, & Pharisaicum, soli Neophyti reprehensibiles essent, non Cephas, nec ejus operatio: alioqui posset blasphemus aliquis verba & opera Christi Domini, unde scandalizabantur Pharisei, reprehensibilia dicere. Consule, nisi dedignaris, Palumbe mi, Doctorem Eximium loc. cit., ut saltem per alicujus *Je'turæ impositionem manuum* ab hoc te. xpedias labyrintho: ibi namque fortasse doceberis, quod. x Anna. itis discere non licuit. Denique reponet *Presbyter impudicus, Hystrix*

Urgetur à
Milon Pa
lund ur.

Galat. 2.

trix crudelis, in volutabro furias efficiens, totam hanc eruditionem à te, quia insipientibus debitor es, misericorditer profulam, extra chorum saltare: quia non destruit, quod ipse nititur astruere, videlicet in Viro magno, & Guillelmum longissimè superante, notari posse aliquid reprehensione dignum.

70. Aliam ostentandæ eruditionis ansam adversarijs suis, Anferi saltem, præbuit inconsultus Milvius; dum ad probandum posse textum aliquem Guillelmi Abbatis absque injuriâ & contemptu castigari, retulit Magni Augustini sententiam Antipodas exiltere negantis; eamque omnium suo sæculo Sapientum fuisse dixit, adiens: *Hoc Augustini dictum omnes hodie castigant, cum in confesso apud omnes sit existentia Antipodarum: nemo tamen ideò spernit venerabilem auctoritatem, & canitiem Augustini.* Hoc ut refutet eruditus Anser, docet in primis falsum esse, quod Augustini sæculo negaverint Sapientes omnes existentiam Antipodarum. Nam pro illâ pugnabant acriter Mathematici, Astronomi, & Astrologi, quos, tamen Ethnicos, ut Anser probet esse Sapientes, in Astronomiæ, & Astrologiæ laudes divagatur. Addit deinde, non defuisse Theologos & viros Ecclesiasticos, qui Antipodarum existentiam affirmarent; & exempli gratiâ producit Virgilium Salisburgensem Episcopum, idcirco delatum à Bonifacio Archiepiscopo Moguertino ad Papam Zachariam, qui perpetuum imposuit silentium: quod Astrologi in suam favorem interpretarunt, licet aliter Theologi, aliter calumniantes hæretici senserint. Tum Augustinum excusat, quod rem negaverit suo tempore non à Scripturis, non à Patribus, non ab Ecclesiâ traditam, vel auditam; sed à Mathematicis, & Astrologis sui temporis, suis nimis fallibilibus principijs suspicatum. Postremo castigat verbum castigari, velut injuriosum Augustino, si hanc ejus de Antipodis opinionem afficiat: quia castigare, Calepino teste, idem est ac reprehendere, punire, multare, aut corrigere ea, quæ culpabiliter, inconsideratè, imprudenter dicuntur, aut aguntur. O! quam prodiga multigenæ eruditionis ubertas! Quis tecum, litteratissime Anser, in Philologiæ palæstrâ certare audeat?

71. Ast videre mihi videor protervum Gerbazum, de genere Enacim, tibi obstrepentem ore vipereo, ac velut contractum colubrum inturgere, tibi que linguâ trifurcâ intrepidè objectare 1.: quod Astrologiæ laudes imperitè facis Astrologiæ communes, dum utramque distinguis Facultatem. 2.: quod principia Matheleos credis esse nimis fallibilia; cum nulla sit inter Scientias humanas tot tamque firmis & immobilibus nixa principijs. Hic risum ægè tenebunt, siqui Te legerint, Mathematici; quorum in Regione peregrinus cum sis, & prorsus extraneus, nec de Astronomiâ quidquam noveris (nisi fortè cum Sanctio Panza, gentili tuo, insidens equo magico Clavileño, Pleiadas, hispanicè sète Cabrillas, aliquando manu teugeris); audes tamen Judicem agere, tuâque privativâ in Corpore Juris potestate in alienam messem mittere falcem.

72. 3.: Quod Mathematicis imponis, dum eos asseris acriter contendisse pro existentia Antipodarum. Nihil ad probandam existentiam conferunt principia Matheleos; sed ut tamquam ad possibilita-

Consist. n.
37. & seqq.
Quam eruditus Anser in questione veteri de Antipodis?

Num. 38.

Num. 39.

Num. 41.

Milvus.

Obloquitur

1.

Obloqu. 2.

Obloqu. 3.

tem adstruendam, probando scilicet, si Terra sit in aduerso nobis Hemisphærio, Terram esse habitabilem, nec Antipodas habituros capita deorsum, pedes sursum, aut versùs Cœlum casuros, ut imaginatur ignaram Vulgus. Rudissima hæc imaginatio procul fuit à mente Augustini: qui ex argumento longè diverso negavit Antipodas, ut patet ex lib. 16. de Civit. Dei cap. 9. ubi. *Nimis, inquit, absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immensitate trajectâ navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illis ex uno illo primo homine genus insitueretur humanum.* Non ergo pugnabat Augustinus contra principia Mathematica, ut Tu cum injuriâ tanti Doctoris indoctè significas. 4.: quòd malè vocitas ore pleno *Sapientes*, siquæ erant Augustini sæculo Ethnici Astronomi, aut Mathematici: tunc enim, coruscante jam totum per Orbem Evangelicâ luce, homines idololatræ, &, ut tu ais, *vanitati, divinationi, & periculosis observationibus dediti*, licet vocari possent alicujus artis periti, aut scientes, minimè tamen absolutè *Sapientes*: quemadmodum tu ipse licet sis egregiè peritus in arte calumniandi, & *Eruditus in Tubis*, in *Theatro Jesuitico*, &c., immeritò voceris absolutè *Sapientis*, aut simpliciter *Eruditus*.

Obloqu. 4.

Obloqu. 5.

73. 5.: Quòd nullum nominas, nec, ut reor, nominare poteris vel ex Ethnicis Mathematicum Augustino synchronon, qui pro Antipodis pugnaverit. Fuere quidem nonnulli, qui Antipodas esse conjecturis aliquot divinarunt: quos inter eminet Seneca Tragicus, Americanum Orbem navigantibus Europeis aliquando detectum iri prædicens poetico, sed mirabili vaticinio:

————— *Venient annis*
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat Tellus, Tybisque novos
Detegat Orbes, nec sit Terris
Ultima Thule.

Senec. in *Medea* Act. 2. sbor.

At nec Seneca, nec alij similiter sentientes, aut suspicantes, ad sæculum pertinent Augustini.

Obloqu. 6.

*Anachronisim. Anse-
 ris.*

*Imperitia in
 hislor.*

*Vid. Nat.
 Alex. liff.
 Eccles. sac. 8.
 c. 1. art. 5.*

74. 6.: Quòd cum sermo sit de Sapientibus Augustiniani sæculi, Virgilium advocas Salisburgensem Episcopum, quasi hic Augustini vixerit ætate. Admirabilis es Chronologus! qui sæculum Ecclesiæ partim quantum, partim quantum, quo floruit Augustinus, identificas cum octavo sæculo, cujus ad medium spectat Virgilius ille, necnon Bonifacius Moguntinus, & Zacharias Papa. Nisi tuam in *Corpore Juris* Præturam vereretur Gethæus, sædum tibi exprobraret anachronisimum, id est, in Chronologiâ solæcismum, multò fadiorem ijs, quos in Grammaticâ perpetras, dum in præsentis scribis interpretarunt, & suspicatum passivè. Exprobraret insuper imperitiam in referendâ Virgilij Salisburgenensis historiâ, fortassis è vicino palmitè decerpâ, & nullo à Te criterio, examinatâ. Virgilius enim, siqua fides accusationibus, non utcumque affirmabat exitere Antipodas, sed alium ajebat: *esse Mundum, & alios homines sub Terra, qui alio Sole, atque alia Lunâ illustrarentur*: quam opinionem sic propo-

sciam jure merito damnavit Zacharias Papa tamquam *perversam, atque iniquam doctrinam*. Damnatio autem ista nec Astrologis favet, nec Theologis in quaestione de Antipodis, sano sensu intellecta: nec nisi calumniosè adducitur ab hæreticis in exemplum erroris Papalis. Duo præterea scire debuisti. Alterum: quòd incertum est, an Virgilius Presbyter, à Zacharià damnatus, & Sacerdotij honore privari jussus, fuerit Virgilius Salisburgensis Episcopus: sunt enim, qui non sine gravi fundamento censent fuisse diversum. Alterum: quòd Cardinalis Baronius falsas existimat accusationes contra Virgilium à Bonifacio delatas ad Zachariam, & honorem accusati defendit velut Sancti Præsulis, & Sanctorum Factis adscripti. Quòd exemplum validè adversum te jam jam intorqueo.

§. IX.

OCCASIONE DATA DISSERITUR DE INFALLIBILITATE GUILLELMI.

75. **M**emorata modò sententia Baronij occasionem præbet non nihil dicendi super immunitate ab errore historico, quam Anser V. Guillelmo Abbati nimis liberaliter attribuit. Judicio Anseris ea est Guillelmi infallibilitas, ut solis cedat Canonicis Scriptoribus: tanta proinde, ut nullus è SS. Ecclesiæ Patribus, nullus è Summis Pontificibus, nisi dogmaticè definiat ex Cathedra, majorem habeat: nec solùm est moralis omnimoda, sed physica etiam impotentia humanitùs errandi: siquidem Guillelmus, quantum ad errores humanos, solùm est *homo metaphysice*. Verùm ut à nupero incipiam exemplo, creditas olim accusationes contra Virgilium Salisburgensem Episcopum, falsas nunc censet Cardinalis Baronius. At quæ temeritas? Nonnè illas credidit incunctanter Zacharias Papa ex testimonio Bonifacij Archiepiscopi? Nonnè Bonifacius recentia crimina Virgilij, quo cum in eadem Regione versabatur, scire potuit, per se se, vel per testes idoneos, & fidedignos? An non credebatur ipse verissima, cum ad Papam detulit? An aliquis ante Baronium per annos plusquam octingentos de veritate accusationum dubitavit? Quà ergo temeritate à Baronio dicuntur in facto recenti, & explorato errasse Viri duo, uterque doctissimus, uterque sanctissimus, uterque inter Calites ab Ecclesià conscriptus, alter Christi Vicarius, alter Archiepiscopus, Germaniæ Apostolus, & inelytus Martyr?

76. Superest, bone Anser, ut Guillelmum tuum Bonifacio, & Zachariæ præferas; vel ut Magnum Baronium eadem, quà Pinium, petulantia irrideas; arrogantia læsas; & puerilem rhetoricationem, quã *Confictus* tui num. 34. niteris ostendere Guillelmum nulli prorsus errori moraliter obnoxium, Sanctis adaptes Bonifacio, & Zachariæ, in quibus multò plures infallibilitatis titulos invenies: ac deinde Baronio, sicut in viso Milvo, insultanter dicas, *Ecce homo, Ecce homo*. Malè metuo, ne te *inverecundus* Milvus vocitet imitatorem Pilati, tam in loquendo, quam in Officio Judicis usurpando; addatque *vir spurius, ludio, & histrio maledicus*, te quoquè decere interrogationem illam, *quid est veritas?* eò quòd te fugere videatur vel notio ipsa veritatis. Nolim tamen hæc à me dicta credas: non enim nisi comiter, & amicè tecum colloqui statui; ne mihi Cellam claudas opti-

Idem *sec. 5.*
c. 4. §. 10.

Nat. Alex.
cit. *sec. 8.*
c. 1. art. 5.
Baron. ad
ann. 748.

Judicium
num. 4.
Confict.
num. 33. &
segg.

Ridicula
exaggeratio.
Judicium
ibi.

Confict.
num. 36.
Exemplo re-
vincitur co-
natus Anseris
pro Guillel-
mo.

Acupatio.

optimè fragrantem, sed patiari potius me, licet indignum, aliquando assuere mentis tuæ, si non ut convivam, saltem ut œnophorum.

De verbo
Castigo.

77. Castigationem, quam hucusque distuli, verbi castigo, nescio an *presumptuosus* Milvius patienter ferat. Quis enim veteri obicere tibi, quod in re litterariâ castigare non est verberare, vel flagellare, nec inurere notam erroris culpabilis; sed est emendare, corrigere, vel meliorem in formam redigere, siquid minus verè, minus aptè, minus congruè dictum esse deprehenditur: quâ ratione cecinit Horatius:

————— *Carmen contemnite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Exactum decies non castigavit ad unguem.*

Quis autem inficietur, Augustini de Antipodis opinionem hoc sensu ab omnibus castigari? Nonne falsâ censetur? nonne repudiatur ab omnibus? nonne contraria præfertur ut indubitanter amplectenda? nonne ab Augustino ipso, si adhuc in terris degeret, retractaretur hodie, sicut olim ab eodem retractata sunt alia multa, quæ non temerè, nec culpabiliter, nec imprudenter scripserat, sed postea minus vera esse deprehendit? An non castigatur sententia, quæ retractatur ut falsâ? Siquidem castigari est reprehendi, ut tu nos ex Calepino doces, in Augustinus ipse in Proxm. lib. 2. de Trinit. errata sua, si quæ sint, à quolibet optat castigari. *Magis optabo*, inquit, *à quolibet reprehendi, quam sive ab errante, sive ab adulante laudari; nullus enim reprehensor timendus est amatori veritatis.* Sed mirum non est, si verbum castigo malè sonet conscientie delinquenti. Noli timere, bone Anser, noli pavescere: verba dabo, non verbera: non vapulabis, non flagellaberis, nec à Cisterciensibus tuis, qui te privilegijs undique munitum corripere non audent, nec à Jesuitis à te tam graviter offensis, qui genus hoc ultionis ignorant, & pro malè affectis erga Societatem ex Regulâ precantur. Sufficit tibi flagellum conscientie tuæ; cum augeas numerum eorum,

Juvenalis.

————— *Quos diri conscientia facti
Mens habet attonitos, & surdo verberè cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

78. Perperam verò colligis ad creandam Milvio invidiam, quod ipse castigat Augustinum, aut Guillelmum. Aliud est corrigere vel improbare opinionem, aut narrationem aliquam: aliud, Authorem castigare, vel reprobare. Vix invenies è Patribus, qui non aliquid aliquando protulerit correctionis indigum: nec tamen reprobantur Patres ipsi, sed laudantur potius, & approbantur ab Ecclesiâ: quia nimirum, siquid ipsis excidit incorrectum, bonam fidem, mentem sanam, peccatque catholicam reliquit illæsum. An non Palumbus tuus cum doctis, quos allegat, Criticis deserit & improbat sententias Hieronymi & Augustini super Cepha à Paulo reprehensione? An propterea Hieronymum & Augustinum castigat? Eruditissimus Antonius Pagnus duobus integris Voluminibus Criticam aggressus est in Annales Baronij, ubi errata plurima notat, emendat, & corrigit, præsertim
chro-

chronologica. Ut enim ait in Præfat. , *Chronologia Pontificum in multis mendanda fuit , per tria serè priora sæcula , & non rarò in sequenti- bus ; neque in ullà re alià sapiùs peccavit Baronius.* Nota verbum peccavit , cui certè congruit verbum castigo. An ideò Magnum Baronium spernit , aut injuriosè castigat Pagius ? Minimè : quin potiùs in ead. Præfat. num. 17. *omni laude majorem prædicat.* Liceat igitur Pinio sine injuriâ Guillelmi (quem magnificè laudat) dicere , vel suspicari , quod non-nihil historicè *peccavit castigatione dignum.*

S. X.

GUILLELMUS EX COMMUNI SENSU SAPIENTUM

moraliter fallibilis.

79. **S**ed tibi pro Guillelmi infallibilitate pugnanti , & hinc maxi-
mè odiosas reddere conanti Notas Antuerpien. es , juvat op-
ponere , doctè Anser , Sapientum commune judicium , cui refragari forsitan
crubesces. Et inprimis oppono celebrem ac pereruditum Dominica-
num , Parisiensem Doctorem , Natalem Alexandrum : ut noveris ,
te quidquid adversùs Pinium , & præsumptivum alium Jesuitam bla-
teras , contra verum & insignem Dominicanum effutire. Contendit
hic Author , narrationem quamdam , dato etiam Authorem habere
Sanctum Joannem Damascenum , haud esse credendam. Quod ut
probet , Histor. Eccles. sæcul. secundi Dissert. 1. sic loquitur : *Nec
verò cedit in SS. Patrum injuriam , asserere quòd in rebus præfer-
tim historicis aliquando decepti fuerint , cum & in dogmatibus
errasse nonnullos nemo neget. Certè Sanctus Gregorius Nazian-
zenus , Damasceno major , & doctior , Theologus à Græcis an-
tonomasticè nuncupatus , cujus dictis nullus unquam inferre ausus
est calumniam (ut ait S. Thomas) , duos Cyprianos Antiochenum ,
& Carthaginensem , in unum conflavit , eâ in Oratione quam ha-
buit in laudem S. Cypriani. An idem propterea asserendum est ?
Sanctus Augustinus Antipodas extare negavit. An hæc in re sequen-
dus ? (Hoc. Anser , exemplum , quod tibi tantoperè displicet in
Milvo , benè nota.) , Cur ergo sequeremur S. Joannem Damascenum fabu-
lam de Trajani liberatione obtrudentem ? Hactenus ille. Qui deinde ,
objectâ sibi auctoritate D. Thomæ , Respondeo 2. , inquit , quod et am-
si Trajanum S. Gregorij precibus ab Inferis liberatum fuisse assereres S.
Thomas , ab ipso hæc in parte discedere nulla nobis deberet esse religio.
Quod ne audaciùs dixisse videar , præstat audire , &c. . Citat illustrum
Dominicanorum Melchioris Cani , & Francisci Victorix judicium.
Paulò ante præmiserat idem Nat. Alexander : Certè nullus religioni
dæret , quantumvis scrupulosus Thomista , asserere multas sub Circulo
Arquinclitatis , & sub Zonâ torridâ regiones habitabiles esse , licet id negaverit
S. Thomas 1. p. quæst. 102. art. 2. fuitus auctoritate Aristotelis. Sic
ille. Quo in exemplo notandum , Zonâ torridâ circi non solùm re-
giones Antipodarum plures , sed plures etiam ad Aricam , nec pau-
cas ad Asiam spectantes , quas habitabiles , & habitatas esse , tem-
pore D. Thomæ , & multo antea incognitum exploratum erat.*

80. Idem ipse Author eodem loco super contraversâ narra-
tione fidem abjudicare non dubitat Magno Tostato , Gerfonia , &
alijs

SS. PP. in
reb. historic.
fallibiles.
S. Gregor.
Nazianz.

S. Augus-
tinus.
S. Joan.
Damascen.

S. Thomas.

alij etiam præclaris sui Ordinis Scriptoribus. Quin & hæc habet notata digna: *Authores in argumento laudati vel alijs fabulis Historiarum suas infarciverunt, ut Sanctus Antoninus, & Vincentius Bellovacensis, qui absque defectu narrationes omnibus exscribebant (ut aliàs cum doctissimo Cano observavimus), vel in Concionibus ad populum hanc de Trajano historiam declamarunt, illam accuratius, & scrupulosius non expedientes (quod plurimis Concionatoribus frequentius contingit), ut Gersonius, & Hieronymus de Lanuza. Hoc etiam observandum Anseri, qui pro narratione Guillelmi ad Concionatores provocat. Nec omittam, quod idem Nat. Alexander ad sæcul. quintum cap. 4. §. 10., ubi navos dissipat, quos in Sancto Augustino impiè notat Dallæus hæreticas, *Decimum*, inquit, *neveum arguit* in Sancto Augustino Dallæus: quod SS. Basilium, & Gregorium Nazianzenum fratres fecerit lib. 1. contra Julian. cap. 5., cum Basilij frater, non Nazianzenus, sed Nyssenus Gregorius fuerit. Fateor ibi lapsum esse memoriam sanctum Doctorem. Sed Augustinianæ doctrinæ pretium non minuit tam levis, in re historica memorie lapsus.*

81. Oppono deinde Cardinalis Baronij generale judicium, occasione S. Joannis Damasceni prolatum: *In his, quæ rerum gestarum veritatem spectant, frequenter accidit falli etiam prudentissimos: & post pauca: Cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor, atque defensor, aliquando falli.* Consonat Cardinalis Bellarmius, de S. Damasceno loquens: qui præterea quasdam S. Ignacij Martyris epistolas, quas genuinas credidit S. Bernardus, spurias censet nihilominus. *Harum, inquit, primus (quod sciam) meminist S. Bernardus serm. 7. in Psalm. Qui habitat: sed neque in codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquij S. Ignacij omnino redolent. Quod ad Summos Pontifices attinet, testimonium sufficiat Gregorij Magni, qui generatim de Romanis Pontificibus sic loquitur lib. 1. Dialog.: Quid miraris, Petre, quia fallimur, qui homines sumus? Subdit quoddam exemplum David; unde concludit: Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud delinur, qui Propheta non sumus? Hoc de re facti particularis, connexionem cum re dogmaticâ non habentis, intelligendum.*

82. Denique ut alia multa prætermittam, pondus, & coronam addit his omnibus S. Augustinus ad S. Hieronymum ita scribens: *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam ... Alios autem ita lego, ut quamtalibet sanctitate doctrinæque præpollent, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Idem lib. 11. contra Faust. cap. 5. discrimen hac in parte inter libros Canonicos, & posteriores alios, latè ac sapienter ostendit. Et in Canonicis, ait, siquid velut absurdum moverit, non licet dicere, Author hujus libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut Interpret erravit, aut tu non intelligis. In posterioribus au-*

Fallibiles,
alij Scriptores
gravis-
sini.

Iterum
S. Augustinus.

Ad ann 604.
n. 40.

Judicium
Baronij.
Bellarmius
De Scriptor.
Eccles. in S.
Ignat., &
in S. Da-
masc.

S. Gregor.
Mag.

Epist. 19. ad

S. Hieronym.

Regule ge-
nerales ex
S. Augustino.

tem liberum habet lector, auditorvè judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit: nisi scilicet, vel certâ ratione, vel ex illâ Canonica auctoritate defendatur.

83 Cedo nunc, bone Anser, an à regulis hisce Guillelmum tuum velis exceptum? & an ille tibi Judici sit infallibilior Nazianzeno, Augustino, Gregorio Magno, Damasceno, Bernardo, Thomâ, Antonino, Tostato? ut nullum in eo suspicari liceat errorem facti. Fateor, adducta hucusque supervacua forent, si cum homine mediocriter erudito disceptaretur: sed his est cum indocto, & pervicaci, qui pro infallibilitate Guillelmi, tamquam pro aris & focis, grandi cum strepitu declamat. Crede mihi, Anser indocilis, Guillelmus ipse, si nunc inter nos viveret, non solum æquo, sed grato ferret animo Pinianam Crisim. Nihil modestiæ minus ex illo sperandum, quam ex Illustrissimo Maurico: qui, vir utique sapiens, & Congregationis tuæ decus insigne, nec à te solum, quod parum refert, sed ab æquis meriti æstimatoribus impensè laudatus, in Præfatione Annalium Cisterciens., *Illud*, inquit, *adseveramus cum sacramento, nihil à nobis scitenter immutatum, nihil consultò auctum, detractumvè, quod facere ad historiam putaremus: sed tamen Præfationem concludit his verbis: Utinam sint, qui corrigant, qui deleant. Utinam & qui addant!.. Bernardus Parens volumen cum cultello Mathæo Cardinali Legato misit, quatenus imposturam, quam avulsione dignam judicaret, proprio ipsius Auctoris gladio succideret: nostros Annales cum cultello & calamo vellemus eruditis cunctis transmittere, succidendis, quæ irrepperunt per errorem, sed non minus addendis, quæ desunt per ignorantiam: quod O! utinam Deus multis inspiret. Hæc Illustrissimus Annalista Cistercij. Quàm procul abes, bone Anser, à voto simili! Sed obiter cogita, de Libellis tuis quid tandem superesset, si cultello Bernardi succiderentur imposturæ omnes; si etiam cultello Mantici, quæ per errorem & ignorantiam scripsisti, succidenda forent. Nec te prætereat, quantum distet utriusque cultellus à Censorum jugulo, cui tu falcem & gladium minitaris.*

84 At, inquis, non tantum dubitat Pinus de veritate factorum, sed insuper de veracitate Guillelmi: nam dubitare de veritate narrationis, est dubitare de veracitate narrantis. Addis demonstrativum, si Superis placet, syllogismum: „ Pinus dubitat de eâ re, non ut ex terminis possibili, vel impossibili, sed de eâ re ut credibili; sed ea res solum est credibilis à veracitate Guillelmi narrantis: ergo dubitat de veracitate illius; & consequenter, cum adeò sit venerabilis, & creditu digna, eam, & ejus venerandam canitatem spernit, ut dixi. Hæc sunt adeò clara, ut in his amplius immorari non liceat. Sic tu, ingeniose Anser, egregiè Dialecticâ. Quisquis ergo dubitat de veritate narrationis, quæ dicuntur Basilii, & Nazianzenus germani fratres, dubitet necesse est de veracitate Augustini narrantis, & venerandam ejus canitatem spernat; maximè cum germanitas ista non sit ex terminis impossibilis, nec alio ex capite credibilis, nisi à veracitate Augustini. Idem

*Mantici mōa
destia S. Bern-
nard. imin-
tantis.*

*An dubitetur
de Veracitate
Guillelmi?*

puta de reliquis aliorum Patrum exemplis nuper indicatis.

*Solvitur
pseulo-syllo-
gismus.*

87 Itaque in syllogismo tuo, concessis præmissis, nego consequentiam: non enim illa sequitur, sed ista: ergo Pinius dubitat, an ea res fiat satis credibilis à veracitate Guillelmi, hoc est, an sufficiat Guillelmi veracitas, ut rem, quæ multis & gravibus momentis falsa videtur & incredibilis, indubitanter omninò credatur. Dubitatio hæc nihil derogat veracitati narrantis; quippe qui potuit rem falsam bonâ fide credere, ac deinde referre sine intentione fallendi. Sed trix iste sunt Summuliticæ, quæ magis conveniunt pueris, quàm senibus podagrosis, Definitoribus, & Magistris emeritis. Viros tantos illigari non decet præceptiunculis Aristotelis, cum jam gravioribus intendant rebus, historijs nempe Quixoti, ac Celestinæ Matris, & à puerili Dialecticorum lacte jam dudum labra lamberint. Videris profectò, peracute Anser, non tam Platonis, aut Aristotelis, quam Diogenis Cynici studiosus esse, tum mordacitate caninâ, tum apparatu Cellæ tux. Ausim dicere, quòd ad te respexit Hispanicus ille jocus:

*Ni Aristoteles te encaja,
Ni das à Platon tu voto:
Diogenes es tu devoto,
Porque vivió en la tinaja.*

§. XI.

ANSERINÆ PRO GUILLELMO INSTANTIÆ DISPELLUNTUR.

86. **U**T Guillelmum tuum ostendas, impigre Anser, infallibilem, vel saltem erroris expertem in textibus notatis, *instas* 1.: quidquid Guillelmus de Bernardo refert, se accepisse testatur à sanctis Monachis, qui omnia ejus noverunt, plura, quibus, cum fierent, ipsi interfuerunt, & viderunt, & audierunt. Refert quælo fideliter verba Guillelmi; qui post illud, omnia ejus noverant, addit continuò, *ingerentes quædam diligenti inquisitione vestigata: plura etiam, quibus, cum fierent, ipsi interfuerunt, & viderunt, & audierunt. Qui cum multa suggerant & præclara, quæ per servum suum Deus ipsis præsentibus operatur, & nota eorum religio, &; bona magisterij ab omni me liberet suspitione falsi, adhuc etiam ad testimonium sibi adiscunt probabilium auctoritatem personarum, Episcoporum, Clericorum, & Monachorum, quibus fidem non habere nulli fidelium licet.* Hæc in Præfatione Guillelmus: qui præcipuè loquitur de rebus Bernardi jam Monachi: nec ait, se à testibus illis fidedignissimis accepisse omnia, quæ memorat, sed quædam, plura, multa; quorum è numero non constat esse facinus puellæ nudæ lectam ingressæ Bernardi. Certè res hæc non ex illis est, quibus laudati testes interfuerant, vel quæ ipsis præsentibus peractæ sunt.

87 Scio, testem istius rei à te produci omni exceptione majorem. Nam postquam credi posse dixisti, feminam ipsam simul cum Damonæ, Bernardo tacente, rem publicasse (quàm idonei testes ad sciendam si leam rei difficillimè!), subjungis: *Sed age, quid in his morem? cum expresse Guillelmus dicat lib. 1. Vitæ cap. 7.*

*Monachium
rotandum.*

num. 74. se ab ore ipsius Bernardi accepisse in Colloquijs de virtutibus & vitijs, de tentationibus, & earum remedijs. Si veracior te non esset Guillelmus, parùm nobis ejus veracitati fidendum. Totum perlegi Librum primum Vitæ Bernardi à Guillelmo scriptum: & proprijs diffidens oculis, amicum rogavi, ut & ipse totum attentè perlegeret. Sed nec ille, nec ego citationis tuæ vestigium invenimus ullum: tantùm abest, ut expressè Guillelmus dicat se ab ore ipsius Bernardi accepisse factum, quo de loqueris. Rogo nunc, an in Corpore Juris tibi comperat incomparabilis privativus honor mentiendi? Si nobis aliquid de Astronomiâ, sicut suprâ in quæstione de Antipodis, intrepidè ingereres, deberet quisque in obsequium tanti Judicis suspendere judicium, cum non ita facilè deprehendi falsitas posset, juxta vulgare illud:

Consist. n. 74

Convincitur.

*El mentir de las Estrellas
Es un seguro mentir,
Porque nadie puede ir
A preguntarlo à ellas.*

Sed modò, cum tam facilis pateat accessus ad Librum Guillelmi, quâ fronte, bone Anser, mendacium nobis oggeris tam rotundum? & id quidem designato Libro, capite, numero. Profectò, quidquid sit de infallibilitate Guillelmi, sit necnè plusquam metaphysicè homo, nemo te dixerit exceptum nec metaphysicè, nec physicè, nec moraliter, ab eâ regulâ infallibili, *Omnis homo mendax.*

88 Accedit mendacium aliud tuis hisce verbis expressum: Sed nec ulla hucusque Vita Bernardi typis mandata visa est, sive sermone Hispanico, sive Gallico, sive Germanico, sive Italico, quæ illam non contineat, nempe narrationem de femina Bernardo accubante in eodem lecto. Consultus à me Flos-Sanctorum Hispanicus Authore Petro de Rivadeneira, Vitam quidem exhibet S. Bernardi non perfunctoriè scriptam, sed narrationem illam omittit penitus. Cumque iste sufficiat ad convincendum mendacij propositionem tuam universalem, & inficalem, superfluum duco Biographos alios consulere, qui linguis scripsere vernaculis, tibi forsàn, præter Hispanicam, incognitis. Eos interim credo, si prudentes sint, à narratione illâ Vulgo tradendâ prorsus abstinere. Res enim est periculosi exempli; quam nemo negaverit indoctis & incautis lectoribus prudentissimè subtrahi. Verùm, quòd te mendacem, ac mendaciorum reum fecerim æstu disputationis abreptus, da veniam erranti. Nunc ad me reversus, non mendacium, sed mysterium dico, quidquid tantus Judex, Prætor, Dictator, Definitor, præter commonem captum pronuntiare dignatur.

Consist. n. 44.
Mendacium aliud convictum.

89 *Idem* 2., Anser acerrime, contendisque, non de solius agi autoritate Guillelmi, sed omnium etiam sapientum Virorum, qui multa per sæcula Vitam Bernardi legentes à Guillelmo scriptam, nihil in eâ notarunt absolum, nihil incredibile. Sed frivole cavillaris. Unde nosti, Viros illos nihil sibi absolum offendisse, nihilvè incredibile apud se notasse in Scripto Guillelmi? Id colligis ex eorum silentio; sed malè colligis. Multa namque in recep-

Guillelmus ex Veterum scientio non probatur inerrans.

tis historijs velut parùm credibilia notant Viri docti, quæ taciti notant, nec animadversiones suas litteris mandant: vel quia nihil sua ipsorum refert, quòd ab alijs passim ea credantur: vel quia nullius à se suscepti Operis institutum crism de alienis Scriptis exigit: vel quia timent alicujus Anseris, aut Palumbi furias, nullà modestià, vel ratione frænatas. Ut enim ait eruditus Dominicanus Echard, de fabulis antiquis loquens, *Quæ historia, seu secularis, seu Regularis, suas non habet? quas ubi semel receptæ sunt, aut imbibitæ, vix quis deponere potest, aut audet arguere.*

*De Script.
Ord. Præd.
tom. 2. p.
748.*

*Multa prioribus inobser-
vata poste-
riores obser-
vant.*

*De irrorat.
S. Bern lacte
Deiparæ.
Manric. An-
nal. Cisterc.
ad ann.
1153. c. 12.
Mabill. in
Edit. Vit. S.
Bernard. in
sine Fragm.
Herbert.
Sartor. in
Cisterc. bis-
tert. tit. 4.*

Virgil.

*Const. n.
100.
n. 101.*

*Mira d'judi-
catio Anseris.*

90 Præterea, quot apocrypha Martyrum Acta, quot Scripta SS. Patribus falsò attributa, quot populares traditiones, quot historiæ Ecclesiasticæ facta commentitia, sine offendiculo, sine criticâ notâ legerunt multa per sæcula Viri sapientes; quæ tamen notarunt postmodùm, & ad fabulas amandarunt Cardinales Baronius, & Belarminus, ac deinde moderniores Critici, nominatim Benedictini, ut Montfalconius, Mabillonius, Ruinartus, Nourryus, Ceillierus, Feijous? Quis ante Baronium sollicitis arguere tentavit accusationes, quarum supra memini, contra Virgilium Salisburgensem à S. Bonifacio delatas ad S. Zachariam? Quis ante Mabillonium tam rotundè, tam contemptim rejecit historiam de physicâ seu reali lactatione Bernardi virgineo ab ubere Deiparæ? Historia ista per longa sæcula viguit adeò inconcussa, ut, teste Manrico, solus eam in dubium revocaverit Bertelius, utique pro nullo reputandus, utpotè nimis crasso & supino fundamento nixus. Hoc tamen est miraculum, quòd, Mabillonio judice, præ alijs certissimis à Pictoribus, & ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus. Cur non hic Mabillonio regeris, docte Anser, verba Sartorij Cisterciensis: *Hoc utique est antiquæ veritati, quæ tot calamis, tot penicillis per quinque & amplius sæcula firmata est, suspensionem affricarè quasi verò veteres illi Scriptores non scivissent æquè distinguere, ac nos, inter influxum mysticum, ac physicum & realem?* En Sartorij censuram Mabillonio aptissimam, qualem tu jocularis in Pinium.

91 Verùm tua in præsentiarum interest indulgentius agere cum Benedictinis, ne ad votum Milvij rideant, & irrideant. Idcirco Mabillonius à te vocatur alter Bernardi Corydon. Aliud fortassè tempus adierit, quo Mabillonius audiat, *O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit.* Interim (quæ tua est ad stringendos gladios mira propensio) & illum, & alios quoslibet ejusdem opinionis, gladijs terreas Spirensium civium, & Provinciæ incolarum, qui hoc factum, inquis, etiam armis parati sunt defendere. Insuper ad solatium a ldis, quòd sive lactatio mystica tantùm, sive etiam physica fuerit, vel non, parùm refert.. ad Bernardi gloriam sustinendam. Optimè. Quòd igitur Bernardus, non mysticè tantùm (quòd ceteris Sanctis commune est), sed physicè ac realiter lactatus fuerit materno ubere Deiparæ; parùm refert ad ejus gloriam sustinendam: quòd verò credatur lascivam ac nudam feminam in lecto sibi physice ac realiter accubantem cum omni pace, & silentio permisisse; hoc, inquam, plurimùm refert ad gloriam Bernardi, nec potest in du-
bium

bium revocari sine ingenti blasphemâ in Mellissuum Doctorem à nino ac demente Critico interrogatâ. Tum hoc si addat iudicium, indignetur nê, an rideat Benedictinus quisque, nolim decernere. Bernardus ipse, credo, dirigeret nunc ad Anserem, & sodalem verba illa, quæ olim ad alios scripsit epist. 252. ad Abbat. de Præm.: *Audivi auditionem vestram & timui: scribitis enim contra me amaritudines, absq; ut tam rationabiliter, quàm terribiliter.*

92 Quid jam plura dicere necesse est ad argutiam tuam, bone Anser, quâ silentium veterum allegas, & te pro filorum honore pugnare putas? Recolito, siquando nocti, laudatam Tertulliani sententiam lib. de veland. virgin. cap. 1. *Veritati nemo præscribere potest: non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia Regionum.* Excipe tuum in Corpore Juris privilegium. Cum primam novi Orbis notitiam Christophorus Columbus attulit, si tu, doctè Anser, præfens adesses in aulâ Regis Catholici Ferdinandi, haud dubiè novum irrides Typhim, & eadem, quâ Bollandistas, & reliquos hujus temporis Criticos, censurâ percelleres. *Apage, diceres, nimium Oceani Criticum, in suo sensu abundantem, qui Antiquitatem spernit, auctoritatem calcat, traditiones respuit, monumenta veterum evertit; atque benè sedatas hominum sapientum mentes agit, vexat, torquet, frangit, atque conturbat.* Quidni magnum illum atque immortalis famæ virum eodem fastu despiceres, quo nunc egregium quemque Criticum, litterarij Oceani Palinurum, arroganter despicias? Miram habes Criticè ideam. *Critica, inquis, indagatrix est veritatis, licet rarò eam inveniat, & possideat.* Sic judicare ac loqui decet hominem ne levi quidem tincturâ imbutum hujus Artis.

93 Nondum quiescis, pugnacissime Anser, sed iterùm atque iterùm *instas*: Si factum aliquod à Guillelmo narratum ideò non creditur, quia Guillelmus homo est obnoxius errori, sequitur nec ceteris ab eodem Biographo narratis esse fidem habendam: imò generatim denegandam omnibus Historicis, seu Ecclesiasticis, seu Prophanis, cum homines sint omnes utique fallibiles. Verùm iterum atque iterum frivolus es arguator; & per familiarem tibi pseudo-Logicam non causâ uteris ut causâ. Factum, de quo est sermo, non ideò non creditur, quia refertur ab homine fallibili; sed quia res est incredibilis per se se, nec fidem ei satis conciliat autoritas hominis, qui non sit ab errore immunis. Ut fides præstetur Historico purè humano, duo sunt necessaria: alterum, quòd Historicus ipse censeatur verax, id est, homo notæ probitatis, judicij, ac sapientiæ: alterum, quòd res, aut factum, nec ex certiori testimonio videatur falsum, nec ex se, vel ex circumstantijs personæ, loci, ac temporis, sit vero absumile, seu quòd non repugnet fidei (de humanâ loquor), quòd non sit fidei absònum, non superet fidem; in summâ, quòd saltem credibilitatem habeat negativam, seu carentiam incredibilitatis. Hæc si adsit, credendum est Historico gravi: si verò desit, aut non appareat, nullius non Canonici Scriptoris veracitas, aut autoritas, nos cogit ad fidem præstandam; sed liberum nobis est, vel factum abnuere, vel dubitare, vel iudicium suspendere, ut ex Augustino & alijs §. 10. satis ostendi.

Non præscribitur contra Veritatem.

Americæ exemplum.

Instantia tertia plusquam frivola.

Quid requiratur ad fidem historicam?

Per-

*Exemplum
rei ex se in-
credibilis.*

94 Perperam ergo infers, ex eo quod Guillelmo non credam, factum per se incredibile narranti, teneri me in ceteris eidem Biographo fidem abrogare. Relege, quæ superius exempla commemoravi. Nunc aliud adjicio. Narrat Guillelmus Eysengreinus in Chronico Spirensi ad annum 1147., quod cum Spiram venisset S. Bernardus, & in Ecclesiâ Virginem Deparam coram ejus imagine salutasset, *Vox ab imagine erumpens Bernardum Deo cunctisque hominibus gratum adventasse indicat, omnibus, qui aderant, audientibus. Percussus hac voce Bernardus, admirando, imagini interdicit, mulieres in Ecclesiâ tacere debere.* En tibi, mi Anser, factum per se incredibile, remque prudenti fidei absonam, & absurdam. An, qui rem istam renuit credere, tenetur fidem abnegare ceteris omnibus, quæ in Spirensi Chronico narrat Eysengreinus? Ineptus eris, hoc si volueris.

*De fide Tito
Livio debita.*

95 Quis fide dignior in historiâ Romanâ Tito Livio? Audi S. Hieronymum in epist. ad Paulin: *Ad Titum Livium laetæ eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus: quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis, celebrandumque miraculum, ut Urbem tantam ingressi, aliud extra Urbem quererent. Nec minus huic Latinorum Historiarum Principi honorificum, quod Alphonfus Aragoniæ Rex, cognomento Sapiens, & Magnanimus, postquam Neapolitanam Regnum subjugavit, brachium Titi Livij dextrum, quo historiam scripserat, è Patavio Neapolim asportari fecit, & iugenti pompâ exceptum, pretiosâ in thecâ reposuit, posteritatis honori servandum.* Talis tamen, tantusque Scriptor, à nullo hodiè prudente lectore fidem obtinet in prodigijs, quæ passim interferit historiæ Romanæ. Quis enim se credulum præter, dum inibi legit, nunc statuas Deorum loquentes, plorantes, sudorem sanguineum emittentes; nunc pluvias carnis, lactis, aut sanguinis; nunc mares, feminas, pullos gallinaceos mutare sexum; nunc mulam gignere, nunc bovem loqui? Rogo te, bone Anser, an propterea vacillat auctoritas Titi Livij, dum alia innumera non ita dissimilia vero commemorat?

*Libell. Fudicium, num. 3.
v. 4.*

*Ineptè d. fide-
ratur pia af-
fectio.*

96 Jam vides, opinor, ex hucusque dictis, quàm ineptè piâ à nobis affectionem exigas, quæ difficultatem superet credendi quicquid à Guillelmo narratur, illius instar affectionis piæ, cujus impulsu revelatum à Deo mysterium Trinitatis credimus. Quasi verò proportio sit ulla testimonij fallibilis ad infallibile: vel quasi pia sic affectio, quæ ad errandum cum errante movet, vel ad absurdum quodvis incautè devorandum. In casu femine lectum ingressæ, pia erga Bernardum affectio potius impellit ad dissentandam narrationi tantæ Viro indecoræ, & ab ejus moribus abhorrenti: pia verò affectio erga Biographum, & erga quemlibet sanctum atque sapientem Scriptorem, incredibilia fortè narrantem, solum exigit, ut ipsi tribuatur inculcata credulitas, & in narrando bona fides.

97 Cum de Sanctorum gestis agitur, non in eo sita est creden-

dendi difficultas, quòd res miraculo plena sit. Si enim ab idoneo Biographo narratum videam, quòd Bernardus, aliufvè Sanctus insignis, mortuos suscitavit, montes transtulit, aut solem stare fecit, nullà morà fidem adhibebo: si tamen Biographus rem ingratam cum inconcussà & notà personæ sanctitate nullatenus coherentem, incredulus ero, & quidem ex pià in Sanctum affectione. Finge narratum à Guilielmo inculpate decepto, quòd Bernardus in prædicto casu provocanti faminæ consenserit. Numquid ad credendum pià te moveret affectio? Numquid te movet affectio pia, vel in Bernardum, vel in Eysengreimum, ut credas, sanctum Doctorem imagini Deiparæ silentium indixisse verbis Apostoli, *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui*? Iterum atque iterum te remitto ad memoratas n. 82. Sancti Augustini regulas, ut noveris nullà pià affectione captivandam esse intellectum in obsequium Scriptoris non Canonici, dum prudens occurrit ratio dubitandi, vel dissentiendi. Siquis mihi Historicus, *metaphysice* fallibilis, quantumlibet sanctus, & doctus, narraret hominem unum, maxilla Asiæ duatætax obarmatum, adjuvante nemine fuisse hostium armorum exercitum, & interfecisse ex eo mille viros, non magis id crederem, quàm à Poetis decantata Herculis facinora. Nunc verò, quia de Samfone hoc narrat Scriptor infalibilis, incunctanter credo, firmiter credo. Sed jam de his pluriquàm satis:

Facile credenda de Sanctis mirabilia, non indecora.

1. Cor. 14.

S. XII.

LEVIORES ALII CONTRA MILVUM ASSULTUS.

98

QUOD Milvius unguibus vestris, Anser, & Palumbe, totus excarnificetur, ac diripiatur, nihil, ut jam præmonui, mea interest. Vires tamen ad pugnam vestras periclitari me oportuit. Quid vobis in re theologica & mystica sit roboris, postea, cum ad Pinianas Notas accessero, disquiram: prius enim totum convitiarum & calumniarum turbinem dissipabo. Nunc attingam obiter leviores alios Anserini acuminis in ostiosam alicem assultus. Milvum arguis docte Anser, & planè convincis erroris theologicæ, & hæretici, quòd ille Deum faciat tentatorem malorum, nec distinguat inter *adjuvare peccatum*,

& *adjuvare peccatorem*: blasphemix quoquè reum agis, quòd Sanctum Joannem Evangelistam *evulgasse* dicat, adeoque ebrium fuisse significet: tum pravum illum Tyro-theologum plurimè doces ad materiam de Gratia, vel de Peccatis spectantia, & miserum obrui alluvione verborum. Sed Milvius ille *vesipellit*, qui dolo superat *Sinomem græcon*, reponet forsitan impudenter, quòd spectat Deum tentatorem malorum, malà fide te sub dubio relinquit e, num se menda typographi; cum ex toto periodi contextu manifestè pateat sensus Authoris, deductus ex verbis Epist. Jacobi cap. 1.

Qualis error Milvi theologicus.

99 Adlet insuper, se non afferendo, sed arguendo, & redarguendo locutum, cum intulit Deum tentare ad malum, & adjuvare ad peccatum. Sequitur enim ex doctrinà tuà, quòd Bernardum adjuvit Deus, imò superno lumine inspiravit ipsi, & forte præ-

*error Anseri
adscribendus.*

præcepit, ut nullâ vi externâ, nullâ necessitate coactus, placidè maneret in occasione proximâ, eâque violentissimâ peccandi, & insuper ut tranquillè sineret palpari se ab impudicâ feminâ. Hoc autem cum ex terminis peccatum sit, nec per confictam à te dispensationem honestari valeat, ut infra patebit luce clarius; tibi met ipsi, non Milvo imputanda est absurditas ingens de Deo tentante ad malum, & adjuvante ad peccatum, non evitandum, sed committendum. Repete nunc exclamationes illas: *Nos miseros! Si talem Deum haberemus, qualem tu facis! Nos miseros! si à Deo vero & vivo impelleremur, & adigeremur ad peccandum! &c.*

Confict. n. 75

Confict. n. 73

Inept. redargutio.

*Tract. 36. in
Joan.*

Psalin. 44.

*Judicium
n. 11.*

Ovid.

Virgil.

Inepta solutio.

100. Nec melius Milvium quasi blasphemantem increpas his verbis: *Joannem eructasse dicis? Vide quid scribas. Eructare ebriorum est, non Apostolorum. Ebrius ego, non S. Joannes.* Ad hæc reponet forsitan scelestus ille: postremum istud, *Ebrius ego*, tuum est: verum, an falsum, tu videris. Quodd autem Joannes Apostolus, si eructasse dicitur, ebrius appelletur, criminatio est in Augustinum, qui Joannem ructantem exhibet & eructantem, dicens: *De Domini divinitate, quomodo nullus alius, est locutus: hoc ructabat, quod biberat... De illo ergo peccatore in secreto bibeat: sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit.* Increpa nunc, sodes, magnam Augustinum, & dicit illi: *Joannem ructasse, & eructasse dicis? Vide quid scribas &c.* Pariter increpa Regium Psalmem, cum ait: *Eructavit cor meum verbum bonum;* quasi ebrium se dicere non erubescat. Vel potius ab utroque disce, quamdam esse eructationem, & ebrietatem, que laudi vertitur, non vituperio; dummodò eructantes & ebrij non dicantur (ut à te dicuntur Cistercienses heroes) thyrifigeti, cultoresque Dionysij, seu Liberi Patris, nec Orgia inter Mænadas antiquo more celebrantes.

101. Post increpatum Milvum, objectionem ejus ex textu Joannis facilè repellis. Toris viribus persuadere conatus fueras in priore Libello, superfluum esse, cum pravum narratur facinus, mentionem facere Diaboli tentantis: utque rem vividius comprobares, nimis graphicè, ac morosè depinxeras in feminâ Bernardi cupidâ luctam libidinis cum pudore: ubi tua desideratur, sinominus sobrietas, certè parcitas, & abstinentia casta verborum: videtur enim cautius acque decentius loqui Maro, dum *transsalit in Tyrios Arma virumque thyrus*, priùsque similem in Didone luctam ingeniosè descripsit: *Vulnus alit venis, & ego carpitur igne &c.* Milvius tamen, hoc prætermissò, illud tantummodò de superflua Diaboli mentione redarguit ex verbis Joannis c. 13., *Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum &c.*: redarguit etiam exemplo Guillelmi, qui de instinctu Diaboli expressè meminit. Verùm tu te ab his expedis quam facillimè. Textum Joannis mylteriosum dicis: quasi mylterium sit reconditum, multumque negotij facessat Interpretibus, quòd Judam induxerit Diabolus ad propositionem. In textu Guillelmi quòd aliquid superfluat, *parùm*, inquis, *curandum.* Parùm curandum? Vide quid scribas. Nonne Guillelmus est heros ille caput inter nubila condens, *fere non homo*, mille nominibus ab errandi periculo immunis? Vide, ne te blasphemum reddat caduca & obliuosa senectus.

101 Aliam triumphandi anam adversus Alicitibus obtulit Milvus; cum duas historiolas à Pinio notatas, hæreticorum fraude intrusas in textum Guillelmi suspicatus est. Quàmvis fraus hujuscemodi jam olim consueta sit hæreticis, Scripta SS. Patrum edentibus; attamen in te præsentem commentum esto, figmentum, fabula, recursus iste. Sed cum excogitatus appareat ad salvandam infallibilitatem Guillelmi, non erat tam acriter explodendus, ut *temerarius, scandalosus, Milvi adular, offensivus*: ipse namque per se patefacit satis mentem Milvi, Cisterciensibus officiosâ fictione adulari volentis,

102 Unum de Anonymi stulticiâ triumphum libens concesserim Anseri, & Palumbo; cum videlicet ambo sinistram coarguunt intelligentiam Anonymi, quod eos existimaverit in subscriptione illâ, *Humilis Monachus*, de christianâ humilitate locutos. Cui enim, nisi stolido & stulto Milvio veniret in mentem, quod Monachi veritatis amantes falsam sibi laudem arrogarent, aliò sensu se se *humiles* dicerent, quàm quo *myricas* Virgilius *humiles* appellavit? Imò nec ad *myricas* respicere putandi sunt; quoniam non aliter *humiles* dicendi, quàm *Aerie Quercus*, aut *conifere Cyparissii*. Sanè Christiana humilitas comes est mansuetudinis individua, juxta illud Christi Domini Math. 11., *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Quod igitur se se humiles corde dicitent ij, quorum è corde penitus exulat mansuetudo, somnium est Milvij, jure merito exhibendum,

*Stulticia
Milvi.*

S. XIII.

ANSERIS CONFLICTUS HETERODOXIS QUAM PLAUSIBILIS?

104 Quid *plausibiliter* scribas, bone Anser, quoddamque non desint, qui te in Jesuitas portentosâ mendacitate garrulentem ad sidera tollant, verissimè dixeris, dummodò ad Heterodoxorum plausum animum intendas: Si *Confessus* tuus Londinum pervenerit, si Hamburgum, si Amstelodamum, si Geneviam, si quod aliud hæreticarum mercium Emporium; laudabunt procul dubio, plaudent, imò subscribent incunctanter Lutherani omnes, Calvinistæ, Anabaptistæ, Sociniani, Quaquerrij, Independentes, Jansenistæ, ceterique monstrorum dogmatum sectatores. Novigenus hoc hominum, intus & in cute novi, dum Theologix Polemicæ non segniter intentus, necesse habui & scribentes legere, & audire loquentes. Novi, quàm implacabili Jesuitas prosequantur odio. Novi quot & quales in eos passim evulgent satyras, virulento Draconis felle conditas. Novi, quantum exultent, & applaudant, siquid viderint à Romano-Catholico adversus Societatem scriptam. Nec scripta modò, sed Authores etiam Jesuitarum osiores, laudant impensissimè: illoique proinde, non jam Papistas, sed hereticos vocitant omni virtutum genere præstantes. Cujus rei exemplo esse possunt earum Authores *Consultationum*, quas tu Anser unâ cum *Tubis* ad manum tibi esse gloriaris.

*Hæreticorū
odium in Societatem.*

105 Si causas quæris hujus in Jesuitas acerrimi hæreticorum odij, Libellos eorum evoluto, vel etiam Catholicorum Libros, eorumdem verba referentes. In specimen audi pijsimum ac cele-

Odij causa.

berrimum Scriptorem Laurentium Suriū in Compend. Histor. rerum sui temporis ad ann. 1540. istius odij causas ita explicantem:
 ,, Vident (Hæretici) suis conatibus in dies magis ac magis ab hujus
 ,, Instituti viris obviam iri; vident multos de suo grege detractos
 ,, ad ovile Christi reduci; vident non solum vitæ integritate, sed
 ,, etiam multiplici, & rarâ eruditione plerosque hujus Societatis
 ,, instructos. Hinc plusquàm vatianum eorum in hujus Societa-
 ,, tis homines odium: hinc illa convitia probraque jactandi sævali-
 ,, bido; quod cum re verâ mores reprehendere non possint, in So-
 ,, cietatis Nomen petulanter *incurrunt* &c. Addit probra quædam ab
 Hæreticis excogitata; quibus ipse subjungit: *quasi verò ejusmodi cavillis quidquam noceant laudatissimis Societatis Patribus, & non potius Sectariorum petulantiam declarent.* Adderet, si nunc viveret, & *petulantiam Anseris.*

Hæretici causas odij declarant.

106 Sed ipsimet Hæretici causas odij sui sine ambagibus explicant, dum palsem Jesuitas vocitant, *Papicolas, Romanos Asellos, Papæ Mancipia, & Canes venaticos, Fulcra Cathedræ Pontificiæ, Lutheri ac Lutheranorum Flagella vocalia.* Numerosa Lutheranorum synodus in Helvetiâ disertè declaravit, *Nullam esse Evangelio suo capitaliorem pestem quàm Jesuitas; & ubi illi sint, stare Lutheri disciplinam, Evangelium stare non posse.* Calvinistæ inter documenta, seu constituta pro Sectâ propagandâ, hoc enumerant ordine 15.: *Jesuita, qui se maximè nobis opponunt, aut necandi, aut si id commode fieri non potest, mendacijs, & calumnijs opprimendi.* Obiter considera, bone Anser, quàm plausiblem, quàm ad palatum Calvinistis erit *Consilijs* tuus, utpotè ad amussim istius Maximæ exaratus. Eodem spiritu famosus Calvinista David Peræus in Orat. de Stroph. Jesuitarum classicum gregalibus suis canit his verbis: *Nunc communia arma, signa, & acies excitanda sunt in Antichristum Romanum, ejusque Primpilares Jesuitas, qui ante fores commune exitium omnibus Ecclesijs reformatis machinantur.* Erubescere Anser, quod stylo perfimili adversus Jesuitas declamaveris. Hæc & alia quàm plurima, quæ brevitatis causâ prætereō, leges apud Christoph. Gomez Elog. Societ. part. 2. class. 11. qui, licet Jesuita sit, non à se ipso loquitur, sed aliena verba fideliter exscribit.

Exemplum typographi Lutherani.

107 Nemo itaque mirabitur, quod typographus Lutheranus ann. 1732. quorquor Libellos famosos in Societatem editos uspiam audierat, diligentissimè conquisitos, & duobus in folio Tomis collectos, Lugduni Batavorum proprijs impensis denudè excuderit, & in lucem emiserit. Nondum prodierat nostri Libellus Anseris, ut præclaram istam locupletaret collectionem. Sed consolare, bone Passercule. Non deerit Lutheranus alter, qui pecuniam & operam impendat in novâ eorundem Tomorum editione curandâ, quæ Libello ditefcat tuo, imò & illum in fronte gerat velut quintam, ut ajunt, essentiam ceterorum.

108 Si gratior esse cupis hominibus istis, quorum exemplo in Societatem garrivisti, garrî pariter in Sanctissimum Societatis Fundatorem Ignatium, Ipsi namque paucis abhinc annis lepidam
 hil-

historiam in Hollandiâ ediderunt Gallicâ linguâ sub titulo, *Histoire de Don Innigo de Loyola Chevalier de la Vierge*. Historia hæc (cujus prodijt jam tomus secundus, Gazulis Batavicus proclamatus) conatur imitari Quixoticam; & eò tendit, primùm ut Sancti Ignatij res gestas, quasi totidem Quixoti, vel Amadisij facinora, modo ridiculo describat; ac deinde Societatem Jesu calumniosis deturpet maculis, & commentitijs narrationibus infamet. Tu, bone Passercule, qui fabulam Quixoticam memoriâ tenes, eâque peropportunè uteris ad Jesuitas irridendos, emito novam hanc ex officinâ Batavicâ historiam ingeniosam, & in Bibliothecâ tuâ cum *Theatro*, & *Tubis* curiosè repositam, accuratè servato, & habeto præ oculis; ut, cum te podagra non sinit plateas & calles amatos visitare, tempus, quod superest è ludo chartarum, utiliter expendas.

109 Tacitos præterire nolo Jansenistas, Jesuitarum hostes insensissimos. Hæreditarium ipsis odium, & avitum à Jansenio Sectæ Patriarcha; quippe qui Jesuitas perpetuò insectatus est verbo, calamo, & opere: nam & in Hispaniam eo sine profectus est, ut Academicas Salmanticensem, Complutensem, Vallisoleranam, & Religiosos Ordines in Jesuitas concitaret: quamquàm ibi non diù nocere ipsi licuit; cum inde se proripere citius, quàm optaverat, coactus fuerit, metu percussus Sanctæ Inquisitionis, suspectum Belgam observantis. Magistrum suum longè prætergressi, Antonius Arnaldus, Blasus Paschalis, Petrus Niculus, Paschasius Quesnel, & generatim Jansenistæ omnes, nullum non lapidem moverunt, moventque ia dies, quo Jesuitas impetant, & universo Mundo invidiosos reddant, & odiosos. Quàmvis contra se, suaque hæretica dogmata, adversantes habeant Summos Pontifices, Episcopos, & Orthodoxos omnes, ipsi tamen totis viribus persuadere nituntur, non alios Jansenistis inimicos esse, nisi Jesuitas: ab his fabricatas esse Bullas omnes dogmaticas Jansenismum proscribentes: ab his deceptos, & incitatos Episcopos: ab his impulsos Galliæ Reges, ut Jansenistas persequantur innoxios.

110. Proinde, Jesuitas odisse, & omni calumniarum genere infamare, Maxima est Jansenij discipulis primaria, & inconcussa. Nihil ipsis antiquius; nihil firmitus, nihil accuratius observatum: adeò ut nullos unquam acerbiores hostes, & nocentiores experta fuerit Societas, licet magnis ab ortu suo persecutionum jactata procellis. Ex eorum officinâ renovati prodierunt Scioppiani Libelli famosi: ex eadem *Epistola Provinciales*, veneno imbutæ illecebrosæ: ex eadem *Moralis Practica*, virus undique spirans: ex eadem clangores *Tabularum*: ex eadem *Consultationes*, & *Epistola*, Catholicis quibusdam Hispanis attributæ: ex eadem mille alia satyrarum nomina, quæ recensere infinitum esset. Denique eò usque increvit accipitria, ut in Galliâ Viri sapientes facerent quadam hypothesi dicere soleant, si Jesuitæ amplecterentur dogmata Jansenij, fore ut Jansenistæ omnes extemplò fierent Catholici; neque aliud cogitari posse medium ad convertendos Jansenistas efficacius.

111 Quid memorem Molinistas, quos & Quietistas vocant, dis-

Historia Satyrica S. Ignatij de Loyola.

Quantoperd Jesuitas oderint Jansenista.

Satyræ in Jesuitas ex officina Jansenistar.

cupulos spurcissimi Michaelis de Molinos? Non ignorat hæc Secta, nec oblita est, suæ mysteria iniquitatis à Jesuitis fuisse detecta, & primas ab ipsidem Molinosi plagas inflictas. Primus enim, qui pestiferam Molinosij mysticem oppugnavit scripto publico sub nomine *Concordia inter laborem, & quietem Orationis*, fuit V. P. Paulus Senneri, Concionator Apostolicus, & Italiae nuperus Apostolus, Vir doctissimus, & pijsimus, Librisque suis Polemicis, Asceticis, Moralibus, Parenæticis, toto Orbe notus. Is primus larvam sanctitatis detrahare aggressus hypocritæ & impurissimo Hæresiarchæ, qui tunc magnâ mystici Doctoris ac Directoris opinione Romæ pollebat, haud modicam eâ de causâ subijt multorum invidiam, imò & persecutionem immanem. Nam *Concordiæ* Liber, agentibus Molinosij Fautoribus, inter prohibitos relatus est, & ejus Author non solum injurias probraque passus, sed in vitæ discrimen adductus. Attamen inde factum est, ut diligentius inquirendo, pestis immundissimarum hæreseon occultò serpens, cum totius Urbis horrore patesceret; utque detestabilis Michael de Molinos, turpitudine novus Gnosticus, novus Priscillianista, novus Beguardus, novus Illuminatus, errores suos sædissimos agnoscere, ac publicè detestari compulsus, ad perpetuum carcerem damnaretur, *Concordiæ* Libro cum ingenti Authoris gloriâ in publicam lucem restituto. Hinc hæreditarium pariter apud Molinistas Jesuitarum odium. Hinc & contemptus mysticæ doctrinæ Societatis, quam Molinistæ rudem dicitant, & plebejam, utpotè deductam è S. Ignatij spiritu rusticano, Hispanicè *espíritu rampón*, *espíritu de quatro suelas*.

112 Hoc animadvertas velim, inconsiderate Anser, qui aliubi, licèt subtimidè, ludis affinitate nominum *Molina*, & *Molinos*; quo satis indicas, nec ignotum tibi, nec ingratum esse morem & idioma Janfenistarum, passim in Galliâ *Molinistas* appellantium (derivato nomine à Ludovico de *Molinâ*) omnes Scientiæ mediæ defensores, & eorum doctrinæ systema in materiâ de Gratiâ *Molinismum*. Unde jam in Galliâ usus obtinuit, ut nomina ista minimè sint apud Catholicos odiosa, sed usurpentur potius ut Anti-Janfenistarum, & benè Catholicorum propria. Idcirco distinctionis gratiâ Sectarij Michaelis Molinosij dicuntur à Gallis *Quietista*, eorumque Secta *Quietismus*. Sed si tibi, mi Anser, Janfenianus loquendi modus arri-det, vel si te delectat homonymiâ ludere, & illudere Jesuitas, cave, ne lulum & ludibrium transferas ad alios irrideri non meritos. Cave, ne veros Magni Augustini filios, verosque discipulos, probrosè vocites *Augustinianos*, aut simpliciter *Augustini Discipulos*: hæc enim nomina sibi arrogant Sectatores Janfenij, & quasi propria tam crebrò repetunt verbis & scriptis, ut suspecta & fugienda Catholicis in Galliâ reddiderint, tamen per se honorificentissima. Cave insuper, ne, cum videris RR. P.P. Dominicanos in Galliâ passim & sine probro vocari *Jacobitas*, Catholicissimos Viros confundas cum *Jacobitis* Orientalibus, monophysitis, & hæresis Euty-chianæ Sectarijs. Cave demum, ne Monasteria, vel Congregationes strictioris observantiæ renovatæ, quæ in tuo, & in alijs Reli-

Molinistæ
sunt odio ha-
beant Jesui-
tæ

Qualiter Je-
suitæ Janse-
niano more
dicantur Mo-
linistæ

giosis Ordinibus efflorescunt (nominatim Congregationem Hispanicam *Montis Sion*), *Reformatas* dicas, & alumnos earum *Reformatos*: nomina quippe ista in Germaniâ, Angliâ, Belgio, & in Galliâ ipsâ, Calvinistas quasi antonomastice designant, & nomen *Religio Reformatata* pro Calvinismo sumitur. Hæc obiter docere te volui occasione Molinistarum.

113 Nunc prædictis superaddere juvat hæreticos *Transsubstantiatos*, Molinistis noviores, & longè impuriore, ac detestabiliores; quos nuper exortos Lusitania vidit, & exhorruit, summis conata viribus nascentem Hydram suffocare. Hæresiarcham ipsum, Sacræ Inquisitionis carcere conclusum, ac diù pertinacem, sæpè convenit, convicit, & ad publicam errorum abjurationem adduxit ann. 1717. R. P. Carolus Antonius Cainedi Soc. Jesu: atque idem ipse Jesuita nefandæ istius Sectæ sacriliga, & turpissima dogmata primus refutavit scripto publico, nempe *Cris. Theolog.* Tom. 4., qui totus est in Caco-mythicis hujus temporis per sublimiora Theologiæ mysticæ arcana validissimè confutandis. Horrendas autem, & infandas *Transsubstantiatorum* hæreses refert idem Author præsertim *Disp.* 1. sect. 3., 4., & 5.

114 Fastidiosa hæc, & prolixa tibi, mi Anser: sed necessariò ingerenda multis de causis. Primùm, ut noveris quantopere Jesuitas oderint Heterodoxi omnes, & quare sic oderint: atque inde colligas, Assyrios non esse, nec Populi Dei hostes, qui cum veris Assyrijs, verisque hostibus Populi fidelis, inimicitias gerunt implacabiles: nam ut agebat ille,

*Indica Tygris agit rabidâ cum Tygride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit Urfs.*

Non Lupi Lupis, sed Lupi Cambus gregis custodibus bella movent. Nè dubites, quin verisimulus fuerit sensus ille communis, etiam Pontificio confirmatus oraculo, & ab Ecclesiâ probatus Officio publico, *Deum, sicut alios alijs Temporibus sanctos Viros, ita Luthero, ejusdemque Temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse.* Quo etiam spiritu Sanctissimus Clemens XI. Christi Vicarius, Jesuitas in Comitijs Generalibus totius Societatis congregatos, cum sacros pedes osculatum accederent, adhortatus est, pergerent animosè præliari prælia Domini, eosdem esse Societatis hostes, & Ecclesiæ Romanæ. Quam sanè communionem causæ jam pridem expresserat authenticè Gregorius XIII. in Bullâ *Ecclesiæ Catholicæ*, sic de Societate pronuntians: *Ad hæc strenuè laboravit, ac sine intermissione laborat, ut illius, vel turbationem & infirmitatem ad commune Ecclesiæ damnum, vel pacem atque integritatem ad ejusdem utilitatem maximè pertinere putemus.*

115 Deinde ut scias, & sciant omnes, quibus magistris, aut præceptoribus didiceris in Societatem clangere, ac debacchari: & quot, quamque validas in bello Jesuitis indicto auxiliares habiturus sis copias ex omni ferè Europæâ Natione collectas: quas utique ad Te non invitas ex Aquilone trahet, tum Libelli tui piperata & falsa illecebra, tum odor Cellæ tuæ ad nares istarum gentium optimè fragrantis.

*De novâ
Transsubstantiatorum
Sectâ.*

*Hinc inferat
Anser, nam
Assyrijs sint
Jesuitæ.*

Juvenal.

*In Offic. S.
Ignat.*

*Magistris, &
Auxiliares
Anseris in
belio.*

Pos.

Quibus lau-
libus Anseri
ornabunt He-
terodoxi?

Virgil.

116 Postremò, ut præcias, quanta te gloria maneat apud Heterodoxos, simul ac tuum videant *Constitium spectabilem*. Publicè proclamaberis inclytus heros, vir oppidò magnus, doctissimus, sanctissimus. Hagiologia Londinense, & Genevense, nomine *Anseris* augebuntur rubris characteribus impresso: Libellulque tuus, aureis litteris exaratus, & forsan à solæcilis expurgatus, proponetur omnibus ut Norma ritè maledicendi Jesuitis. A Prædicantibus prædicabere Chrysoſtomus alter. A Calvinistis calvities tua lauro coronabitur. Ab Anabaptistis rebaptizabere senex, appellatione *Anseris* in *Aquila* nomen commutatâ; nec jam ultrâ dicèris *interstrepere Anser Olores*, sed tibi cantabitur, *Ecce volans rubrà fulvus Fovis ales in æthrâ*. A Lutheranis iterùm donabere nomine *Anseris*, & acclamabere *sonorum os Protestantium*; ut, quoniam ipsis non licet in Hispaniâ proprio ore loqui adversùs Jesuitas, Anserino saltem ore loquantur, hispanicè *por boca de Ganſo*. A Jansenistis nuncupaberis alter *Arnaldus*; atque etiam, cùm Te dicas ad infamandam Societatem moveri amore sancto charitatis *Sancti-Amoreus alter*, vel potiùs *Sancti-Amoreus duplex*: fuerunt enim ejusdem cognominis de *Santo-Amore* duo Religiosorum hostes; alter ætate D. Thomæ; alter elapso proximè sæculo Jansenianæ causæ defensor acerrimus. Item à Molinistis celebrabere velut *Mola Asinaria*, ex contritâ famâ Jesuitarum farinam optimam eliciens. A Transubstantiatis consecrâbere de Monacho in Momum Deum, Somni patris Noctisque matris eximiam prolem, ac Deorum Fiscalem integerrimum: eorundem operâ transibis etiam sub accidentibus Antieris in substantiam Phœnicis; ut posthac *Phœnix Maledicorum* audias: certè Libellus tuus naturam Phœnicis æmulatur, cùm nihil sit quoad substantiam, nisi famosum & infame *Theatrum Jesuiticum* centiès combustum, & nunc ex proprijs cineribus redivivum.

Authores
Theatri Jesui-
tici.

117 Jam deinceps apud Heterodoxos parvi fiet vetus istius machina *Theatri*, cui fabricando tabulas apparavit Gaspar Scioppius, Symmista Francisco Roales Hispano, & à totis Hispaniæ Regnis ob insignem maledicentiam expulso. Gaspar, inquam, ille Scioppius, qui fictos inter honoris titulos, propriâ sibi autoritate attributos, *Comitem de Clara-valle* nuncupabat se se: atque inde forsan charus evasit incauto Anseri; qui dubio procul ignorat, *Clara-valensem* istum *Comitem*, Patre vespillone Lutheranò in Germaniâ natum, & Lutheranismo innutritum, deinde per annos aliquot facie catholicum, corde semper ad mortem usque fuisse Lutheranum; nec destitisse quamdiu vixit, canino dente mordere Romanos Pontifices, Reges, Cardinales, Episcopos, Doctos & Probos omnes, Libellis innumeris adedè blasphemis, procacibus, & maledicis, ut antonomasticè *Cynicus*, & *Canis humani generis* à Catholicis, & hæreticis Scriptoribus possim appelletur.

Authores: Mo-
ralis Practi-
cæ, Tubarum
&c.

118 Parvi quoque fiet in posterum apud Heterodoxos *Moralis Practicæ*; cujus præcipuus Author Antonius Arnaldus, Jansenitarum in Galliâ Coryphaeus, è patriâ fugitivus & exul, extremum diem obiit in Jansenismo contumax, Contemneatur pariter

Ar-

Artes Jesuitica, Authore *Christiano Aetophilo*; necnon *Tuba* multiplex, vel potius una, & eadem sæpius edita, semperque novis aucta mendacijs, Authore *Liberio Candido*; quibus nominibus larvati Jansenistæ, vetera & cariõsa sub novo titulo in Jesuitas invexere plaustra calumniarum. Omnes, inquam, isti Libelli, & alij consimiles, contemnentur, & nihil fient ab Heterodoxis præ novo *Anferis Consißtu*. Illi quippe, & nimis apertè produnt officinam hæreticam, præsertim *Artes*, & *Tuba*, quæ palam Jansenistarum causam agunt, atque enixè commendant; & aliunde nimis infames habentur apud Catholicos, post tot Ecclesiastica fulmina, atque Regia decreta, quæ ubique percussa, ac damnati sunt ut *mendaces, calumniosi, scandalosi*, &c.

119 Libellus *Anferis*, & ex Libellis istis spagyricà arte sublimiorem extrahit spiritum, & hunc lapidum reddit mille salibus, & plausibilem efficit, ac valde commendabilem venerando nomine Monachi Cisterciensis ex Congregatione Hispanicà reformatà, nec Monachi qualiscumque, sed in Ordine suo primarijs honoribus decorati, & in Curia Matritensi noti, & spectabilis. Digtum insuper intendit in cavillos, æque frivolos, ac malignos, rabulæ cujusdam ex ijs, quorum ingenium, & eloquium eatenus aureum dici potest, quatenus auro fulgente fulget, languente languet, & ejusdem metalli vi magnetica vertitur in partem quamlibet. Nec omittit idem *Consißtu* mentionem Libelli *Madrid Corte*; qui, licet ab Inquisitione Hispanicà damnatus, novà tamen *Anferis* commendatione curiosos invitabit lectores, eos nimirum, qui facultatem Libros prohibitos legendi eo fine procurant, ut illà ipsà malignitate, quæ prohibitionem meruit, abutantur; utque armis hujuscemodi, tamquam selectis, & non vulgaribus, Religiosos lacerent, & Religiones infament. Tot igitur superbus meritis *Consißtu spectabilis*, solus in posterum Heterodoxis erit spectandus, & Libellis omnibus hucusque in Jesuitas editis præferendus.

120 Hèm, Passercule nequam, Olorinæ professionis dedecus, hèm quos tibi obstrinxeris amicos, quos conciliaveris laudatores, quos encomiastas demerueris, quos palpaveris Meccœnates. Jesuitas quod attinet, tam eorum, quam tuà maledicentià nihil ipsi moventur. Exemplo Jesuitarum Collegij Apostolici, gaudent magis, quam timent pro nomine Jesu contumeliàm pati. *Ubi Deus in causà, ibi optanda maledictio*, ut ajebat Maximus Hieronymus. Quòd autem Deus sit in causà Societatis, testantur ipsimet Jesuitarum ofores Hæretici; ut ex eorum verbis paulò antè relatis liquidò constat.

121 Sed meliùs id testificantur Summi Pontifices: quos inter audire juvat SS. Pium IV. in Lite. Apostol. ad Maximilianum Imperatorem dat. 29. Decemb. an. 1564., ubi, *Ad aures*, inquit, *nostras*, pervenit extitisse nonnullos, qui divini timoris immemores (*atque tendè Anfer*), & conscientie lux negigenæs, invidia scilicet, & pravis quibusdam studijs obcecati, Libellos quosdam contumeliosos, probris, & maledictis plenos disseminaverunt adversus Or-

Consißtu
aliji præferendus
Libellis famosis.

Commendat
cujusdam rabula
cavillos;

Et damnatum
Libellum,
Madrid Corte.

Jesuite maledicta non
timent.

Testimonium
Pontificum
de causis per-
secutionum
in Societ.

„nam totum Societatis Jesu, & quosdam ejus Professores nomi-
 „nam, qui sunt ceteris notiores. Sanè molestè tulimus lædi fa-
 „mam, & violari existimationem ejus Ordinis, cujus tam multa &
 „insignia constant erga Religionem Catholicam officia & merita,
 „Quà in re non modò eis injuriam fieri putamus, sed id agi in-
 „telleximus, ut pia opera, quæ per eos in diversis Orbis terrarum
 „partibus effici consueverunt, talibus calumnijs impediuntur &c.,
 „Postea Imperatorem hortatur Sanctissimus, ut, cum non ignores
 „ijs, quicumque piè, & religiosè vivere volunt, nunquam deef-
 „se solere vexatores, & obrectatores, quippe qui ne ipsi quidem
 „Domino & Salvatore nostro defuerint, eorum, qui in eà Socie-
 „tate sunt, innocentia faveat, prohibeatque, ne obrectatoribus
 „eorum ulla facultas detur ad impediendos eos, quominus Dei ho-
 „nori, & animarum saluti, sicut ad hoc tempus fecerunt, sedu-
 „lò inserviant.

*Testimonium
 aliud Ponti-
 ficium.*

122 Audiendus etiam SS. Paulus V., qui Bullam confirman-
 tem Institutum & privilegia Societatis, ita exorditur: *Quantum Re-*
 „ligio Societatis Jesu in Ecclesià ad Fidei, Pietatis, & Religio-
 „nis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, Nos ipsi
 „scimus, & Christiana Respublica novit universa. Propterea il-
 „lam diversimodè perturbare, & ab incepto retardare, malis ar-
 „tibus humani generis hostis quotidie nititur. Ex his facillè in-
 „telliges, quid Jesuitas reddat invisos, tum Hæreticis, tum malis
 Catholicis: nimirum Pietatis studium, zelus animarum, & labor
 indefessus in tuendâ Catholicâ Religione, & in vitijs pravisque mo-
 ribus extirpandis. *Est igitur Deus in causâ.*

*Testimonium
 Henrici Mag-
 ni Gall. Reg.*

Vid. Reg.
 Orat. apud
 Becan. tom.
 1. Opusc. q.
 Batavic. n.

123 Hinc Magnus Henricus IV. Galliæ Rex Christianissimus;
 cum ageretur de restituendis in Galliam Jesuitis, quorum causam
 Rex ipse contra primum Præsidentem Harleum per se defendit, in
 publico Senatu perorans eloquentiâ masculâ, & verè Regiâ; inter
 alia præclare dicta hoc protulit: *Observavi, cum de Jesuitis resti-*
 „tuendis loqui cepi, duo in primis genera hominum restitisse, Hæreticos,
 „& improbos Ecclesiasticos. Quod quidem acriorem mihi stimulum ad eos
 „revocandos addidit.

13.
*Restitutam
 Gallia Socie-
 tatem quomo-
 dò memoret
 Scriptor Do-
 minicanus.*

124 De hac Jesuitarum in Gallias restitutione meminit Na-
 talis Alexander Hist. Eccl. sæc. 15. & 16. cap. 11. art. 11., cu-
 jus verba tibi proponere, maledice Anter, operæ pretium erit, ut
 à celebri Dominicano discas de Jesuitis dignè aliquandò loqui. Sic
 „igitur ille: *Religiosissimos* Patres Societatis Jesu, occasione faci-
 „noris Joannis Castelli proscriptos, agnitâ eorum innocentia to-
 „to Regno honorificè restituit (Henricus Magnus) anno 1604.,
 „nobileque Collegium Fixæ in Andibus ipsdem erexit; ac tuam
 „de eadem celeberrimâ Societate præclaram & æquissimam opi-
 „nionem Orbi universo testatus est, P. Petro Cotonio ejusdem So-
 „cietatis viro, singulari pietate, doctrinâ, faciendâ spectabili, in
 „Concionatorem, & conscientia suæ Moderatorem adiecto. Ex
 „quo tempore Christianissimi Reges, pietatem, doctrinam,
 „prudentiam, fidem hominum ejusdem Societatis experti, unum

5, ex S. Ignatij filijs semper à Confessionibus habuerunt; nonnullos
 ,, identidem à Concionibus, ut est sacra illà Familia facundissimo-
 ,, rum Concionatorum *feracissima*. Hactenus eruditus Domini-
 canus.

125 Cujus verba ut attentè legat, Tu Anser invitato sode-
 lem tuum Palumbum, & ut illa conferat cum insulsâ *Columba* sug-
 argutiunculâ, quâ Mussantium Jesuitam redarguit, quasi *dolenter*
 dixerit: *Post Henricum secundum Guzmanæ filium ex Ordine S. Dominici*
conscientiæ Moderatores eligunt Castellæ Reges. Hinc infert Palumbus
 S. Dominici stirpem Guzmanicam; & incohærentiam sugillat Je-
 suitæ Mussantij cum Jesuitis Antuerpiensibus, quasi Guzmanum esse
 S. Dominicum hi negent, ille asserat. Tum subdit eleganter: *Hos*
mibi liga funes. Gratulor bono viro plumbeum acumen, & aureum
 eloquium. Sed illum precor, ut apud se recogitet, an *dolenter* scrip-
 serit Natalis Alexander, quod à tempore Henrici Magni, *Christia-*
nissimi Reges unum ex S. Ignatij filijs semper à Confessionibus habuerunt?
 Item, an inde sit consequens, S. Ignatium è Regiâ fuisse stirpẽ
 Borboniâ? Et an Natali Alexandro repugnet, qui talem stirpem non
 statim adscripserit S. Ignatio? Dumque funes hosce cum suis illi-
 gaverit Palumbus, innodavimus faciliè quos ipse cupit illigatos.

Columb. in
Append. n.6.

Ineptia Pa-
lumbi.

S. XIV.

QUO FRUCTU LEGENT HÆTÉRODOXI CONFLICTUM ANSERIS?

126 Ignoras credo, Anser imprudens, cur maximè plaudant
 Hæretici Libellos in Jesuitas editos à quibusdam seu
 re seu nomine Catholicis, & quem inde colligant fructum. Sed
 scias oportet, eos quidem magnoperè delectari Jesuitarum dedeco-
 re; sed multò magis totius Ecclesiæ Romanæ sinistra, quæ apud
 eos inde resultat, opinione. Ex Libellis namque Societatem diffi-
 mantibus colligunt, quid sibi sentiendum de Romano-Catholicis
 generatim, argumento, ut ipsi autumant, validissimo. Audi rem
 certam, & mihi ex inspectis Hæreticorum Scriptis benè notatam.
 Antonius Arnaldus, & Petrus Nicolus, Jansenistarum in Galliâ Pro-
 ceceres, ut se se, tamen Jansenismi tenaces, utcumque ostenderent
 Catholicos, Calvinianæ Sectæ doctrinam & mores Libris editis im-
 pugnarunt. Contrà insurrexere Calviniani Ministri, seu Prædican-
 tes, præsertim ex Hugonotis, qui tunc in Galliâ, Nannetenfî
 Edicto nondum revocato, suas habebant Ecclesias varijs in locis:
 Prædicantes, inquam, Claudius Bruguierus, Merlatus, & alij; sed
 omnium acerrimè Petrus Jurius edito Libello, cui titulus, *Spiritus*
Arnaldi, & Jansenistarum.

Hæretici con-
tra Roma-
nam Eccle-
siam arma-
tur Catho-
licor. satyræ
in Societ.

127 In hoc, & alijs consonis Libellis, recriminantur Hære-
 tici Romanam Ecclesiam, tam in moribus, quàm in doctrinâ: &
 improbè argumentantur hoc ferè modo. Regulares ceteri, quorum
 virtute & scientiâ maximè gloriatur Ecclesia Romana, meliores
 non sunt, quàm Jesuitæ: sed per Vos (scilicèt per Arnaldum, &
 Affeclas) Jesuitæ sunt homines in doctrinâ, & moribus corrup-
 tissimi; tales nimirum, quales describuntur in *Theatro Jesuitico*,

Syllogismûs
Hæreticor.

primum Hispanicâ linguâ publicato à Catholicis ipsis, ac deinde ab Arna. do & socijs quoad totum nucleum, succumque novis criminibus auctum, Gallicâ linguâ transfuso in *Moralem Practicam*, & in alios ejusdem Officinæ Libellos: istorum namque testimonio Jettitæ quantum ad dogmata Pelagiani sunt, vel ut minimum Semi-Pelagiani; sunt etiam Idololatriæ fautores apud Sinas; sunt item corruptores doctrinæ moralis Evangelicæ, ut latè probat Montaltius in *Epistolis ad Provincialem*; quantum autem ad mores, superbi sunt, ambitiosi, avari, fraudulenti, se solos amantes, tyranni, politicâ mundanâ ac diabolicâ ducti, impij, athei, paganis iniquiores, & siquid est deterius; idèdque à Jansenistis, & à quibusdam alijs, etiam Religiosis, Societas appellatur *Synagoga Satana*. Igitur ijsdem vitijs & erroribus, vel certè non minoribus alijs, fordescunt pariter ceterorum Ordinum Religiosi: cùmque Regularis Status in Ecclesiâ Romanâ sit veluti flos virtutis & sapientiæ, sequitur, ceteros Romano-Catholicos æquè perversos esse, vel peiores. En syllogismum Hæreticorum: in quo, si præmissas dederis, consequentiam inficiari non poteris. Et *Minor* quidem repudiari nequit à Jansenistis, nec ab ijs Catholicis, qui *Theatrum*, & Libellos consonos avidè legunt, impensè laudant, & memoriter discunt. Sola itaque *Major* in dubium revocabitur.

Minor, & Consequentia syllogismi negari nequeunt à calumniatoribus Societatis.

Major ejusd. Syllogismi nõ parùm probatur ex communi sensu. 1. Sedis Apostolica.

128 Sed illa justè vel injustè censetur ab Hæreticis per se nota. Et re verâ probari posse videtur, si non demonstrativè, saltem plausibiliter, ex ipso Ecclesiæ Romanæ communi sensu. Nullus quippe Religiosus Ordo majoribus apparet encomijs commendatus à Romanis Pontificibus, nec pluribus privilegijs & favoribus cumulatus à Sede Apostolicâ. Audiatur in specimen sanctus Pius V., qui Bullam ad confirmandas Constitutiones Societatis ita exorditur: *Innumerabiles* fructus, quos, benedicente Domino, Christiano Orbi Societas Jesu, Viros litterarum præcipuè sacram scientiâ, religione, vitâ exemplari, morumque sanctimoniâ perspicuos, multorum religiosissimos Præceptores, ac verbi Divini etiam apud longinquas, & barbaras illas Nationes, quæ Deum pænitus non noverant, optimos Prædicatores, & Interpretes producendo, felicissimè hætenus attulit, & adhuc sollicitis studijs afferre non desistit, animo sæpè revoiventes *nostro &c.* Et postea; *Nos igitur, qui Societatem præfatam Nobis & Apostolicæ Sedi apprime charam, singulari paternoque amore prosequimur &c.* Consonant anteriores, & posteriores alij Pontifices, quorum elogia nunc omitto brevitas studio.

129 Nullus item Religiosus Ordo charior apparet, laudatior, æstimatior, apud Imperatores, Reges, Episcopos, aliosque Principes Ecclesiasticos, & Sæculares, paucis exceptis, qui certè labefactare nequeunt regulam generalem. Pro Galliæ Regibus, ut omittam æstimationis & amoris argumenta quàmplurima, sufficere poterunt quæ n. 124. ex Natali Alexandro commemoravi. Pro Regibus Hispaniæ, ex quibus innumera extant erga Societatem benevolentis ac munificentis monumenta, sufficiat testimonium

2. Regum Gallie.

Augustissima Regine Margarite, Philippi III. Regis Catholici uxoris, in Testamento & Codicillo, quo fundationem ac dotacionem prescripsit Regalis Collegij Salmanticensis Societatis Jesu. Verba ejus Hispanica refero, nequid energie detraham. *Primeramente* mis Padres tuvieron siempre grandissima devocion à la Compania de Jesus, y murieron con ella mis Abuelos, que fueron los primeros que la traxeron à Alemania, y por medio de ella, y de los Colegios que le fundaron, conservaronla en la Fe Catholica, como oy dia se vê. Despues los bienes, que yo delde mi niñez recibí de ella en mi alma, son innumerables, y tales, y tantos, que yo los estimo en mas que todas las grandezas de este mundo, y me hallo por obligada de mostrarme, quanto yo pudiere, Madre en lo temporal de los que à mi me fueron tan fieles Padres en lo espiritual. Tambien, como todos saben, el grande y increíble fruto, que la Compania por todo el Mundo entre Fieles, y Infieles, y Hereges con todo genero de hombres hace; juzgo por bienaventurado al que Dios haçe esta merced, que pueda de su hacienda fundar un Colegio de ella, y hacerse particionero de tantos bienes. Consignat postea multa ducatorum millia, subdens: *Y todo esto hago puramente por amor de Dios, de mi alma, de la del Rey mi Señor, y de estos Reynos, creyendo por cierto, que no puedo hacer cosa mas acertada para este fin; pues en esta obra se encierran todas las demas obras de Misericordia corporales y espirituales, como que por una parte los mismos Padres en sus Colegios las hacen, y por otra parte las enseñan tambien à los demas por todo el Mundo.*

130 Ex Imperatoribus Austriacę Domûs à Carolo V. ad VI. nullus fuit, qui non enixè faverit Jesuitis, eorumque Religionem summo habuerit in pretio. Unum modò sufficiat Ferdinandi II. Imperatoris Augusti testimonium in Testamento propriâ manu descripto, & hispanicè edito, per hæc verba: *Ante todas cosas seriamente con sumo favor y zelo grande, dexamos encomendada à nuestros sucesores la muy venerable Religion de la Compania de Jesus, y todos los Padres de ella: considerando quanto aprovecha à la Iglesia Catholica, no solo en estas nuestras Austriacas Provincias, sino tambien en todos los demas Reynos, y Provincias de toda la Christiandad; y considerando con quanto estudio, fervor, y fidelidad trabaxan (adelantandose à todos los demás) en conservar, y plantar en todas las partes del Mundo la Religion Catholica; y considerando que tambien por el contrario son los mas odiosos à este Mundo perverso, è ingrato, y que padecen mayores persecuciones, que otros algunos, y por esta causa necesitan de mayor favor y proteccion, y la merecen: con esta nuestra voluntad estamos confiados y ciertos que cumplirán nuestros Herederos y Sucessores &c.. Ex Viris alijs, Dignitate, Nobilitate, aut Famâ sapientię in Christianâ Republicâ perillustribus, multa & exquisita Societatis elogia dabit præcitantus*

3. Regum
Hispania.

4. Imperatorum.

5. Altorum
in Christianâ
Rep. Virorum
Illust.

tus Gomez; quibus plura alia superaddere, nimis quam facile.

*Probatur
item ex pro-
focuis Jesui-
tarum minif-
terijs.*

131 Accedit ad eandem Propositionem roborandam, quod nullus est Ordo, qui plures Nationes in quatuor Mundi partibus Evangelicâ luce illustratas ad Ecclesiæ gremium adduxerit. Nullus item, qui plus labore in erudiendâ Catholicè Juventute, vel in docendo Fidei morumque doctrinam Populo Christiano, præsertim Apostolico ministerio Missionum. Et quod spectat institutionem Juventutis, ut præteream obvia passim, creberrima, & perhonorifica Catholicorum testimonia, non est omittendum quod veritas extorsit à Francisco Bacone, Verulamij Domino, & Angliæ Cancellario, Viro, si heterodoxiam excipias, utique magno, cujus ingenium, judicium, eruditio, à Catholicis etiam Scriptori- bus dilaudatur. Hic in Opere à se conscripto de Institut. Juvent. *Quæ*, inquit, *nobilissima pars prisca disciplina revocata est atiquate- nus quasi postliminò in Jesuitarum Collegijs: quorum cum intueor in- dustriam solertiamque, tam in doctrinâ excolendâ, quam in moribus efformandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo: Talis cum sis, uti- nam noster esset* | Sic ille. Cujus votum asciscendi suas in partes Jesuitarum cærum, procul est ut exaudiat Dominus.

*Item ex dis-
cipulorum
numero, &
ex Libris edi-
tis.*

*Item ex Col-
legijs, Semi-
narijs, Uni-
versitatibus,
ubilibet Je-
suitarum Cu-
ræ commissis.*

132 In ejusdem rei confirmationem addendum, quod nul- lus est Ordo, cujus Scholæ, Gymnasiaque majore affluant numero discipulorum, præsertim in Galliâ, Italiâ, Belgio, Germaniâ, Polo- niâ. Nullus, cujus Scripta in omni bonarum genere Disciplinæ autæ plura sint, aut avidius legantur, & fructuosius. Nul- lus, cujus prudentiæ, doctrinæ, ac morum sanctimonix magis confidere videantur Pontifices, Principes, & communiter ex om- ni statu Fideles. Jesuitarum curæ commissæ sunt Romæ Collegia pro instruendis Nationibus hæresi laborantibus instituta, videlicet Germanicum, Anglicum, Scoticum, Græcorum, & Maronita- rum. Jesuitis pariter Hispaniarum Reges Catholici gubernanda tra- didere Collegia & Seminaria Scotorum, Anglorum, Hibernorum, quæ magno Religionis proventu florent Mattiti, Vallisoleti, Sal- manticæ, Compostellæ, Hispali, Ullyssipone, & in Belgio. De- creto Regis Catholici Philipi IV., Societatis ductu reguntur Semi- naria in Americæ Regnis ad instruendam Juventutem erecta: quæ de re juvabit legere Solorzanum de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 1. cap. 26., & lib. 3. cap. 16. & 18. His addo Regium Matritense Nobilium Seminarium sub disciplinâ, & præfecturâ Societatis nuper à regnante Catholico Rege Philippo V. magnificè funda- tum. Jesuitis quoque traditæ sunt Universitates integre, præsertim in Germaniâ, vicinisque Regionibus, ubi Societas plures habet florentes admodum, ac celebres. Nec parum probat communem de Jesuitis existimationem Ecclesiæ Romanæ, quod hodiè plerique Reges ac Principes Catholici non nisi Jesuitas conscientix Mode- ratores habent; quos in hoc imitatur Fidelium ex omni statu pars major, ab infimâ plebe ad classes usque superiores.

*Item ex con-
quisito à Fi-
delibus cons-
cientiæ mode-
ratoribus.*

133 Accedit insuper, quod Societatem Jesu impensè di- lexerunt, & impensè laudarunt canonizati Sancti, quotquot à
tem-

tempore foundationis ejus vitam in terris duxere cœlestem. Notum est, quo illam amore, quibus laudibus profecuti fuerint Sancti Pius V., Petrus de Alcantara, Philippus Neri, Carolus Borromeus, Franciscus Salesius, Seraphicę Theresia de Jesu & Maria Magdalena de Pazzis, &c. Ut alia nunc taceam brevitati consulens, exemplo sit S. Josaphat ex Ordine S. Basilij Archiepiscopus Polociensis, & inclutus Martyr, cujus Vitam latinè scriptam ab Illmo D. Jacobo Susza, Hispanicam reddidit Rmus P. M. Fr. Michael Petz ejusdem Basiliani Ordinis, qui paucis abhinc annis Salmanticę obiit, in eâ Universitate primarię Theologię Cathedrę Moderator emeritus, magnâ sapientię, & religiosę vitę per totam Hispaniam opioione. Hujus Magistri textum Hispanicum, quia Latinum Illmi. de Susza videre non licuit, ad verbum exscribo. *Amaba tiernamente (S. Josaphat) à la Religion de la Compañia: y à los que se lo tachaban, respondia, que solo el habito le dividia de ella, no el animo; que miraba con estimacion, y deseaba emular la solitud en el bien de las almas, la charidad y amor de Dios, y la piedad con que respandecia; que él era con ella una misma cosa; y qualquiera que fuese enemigo de la Compañia, entendiese que lo era suyo; y ultimamente, que no tenia esperanza de la salvacion de aquellos, que con diente maligno la royessen, antes los tenia por reprobos.* Hęc ultima verba terrere te debent, improbe Anser. Sed solatio sit tibi, quoddam Jesuitę pro malè affectis erga Societatem ex Regulã orant: atque adeo tot apud Deum intercessores habes, quot Jesuitas maligno dente rosisti, id est, omnes toto Orbe dispersos.

134 Denique ad Societatis commendationem plurimum facit, quoddam nullus est Ordo, qui ab alijs Religiosis Ordinibus majora susceperit encomia. Multa refert laudatus Gomez, eaque prægrandia, & usque ad hyperboleam magnifica; nec tamen omnia colligit. Nunc speciminis loco dabo paucula quędam ex Cisterciensibus, & Dominicanis, quibus Anser contradicere non audebit. Angelus Manrique, Cistercij, & totius Hispanię fulgentissimum lumen, in serm. Beatif S. Ignatij, totum eloquentię flumen effundit in laudem Societatis, quam vocat, *Religionem Martyrum, Religionem Apostolorum*, & ceteris omnibus præferendam planè significat. Inter alia, *Respicite*, inquit, ea omnia facinora, quę à svã fundatione patravit Societas; tot Idololatrarum Provincias ad Christi fidem conversas, tot Hęreticorum oppida obedientię Romani Pontificis jam penè subjecta, tot Fidelium pueros benè educatos, tot Religiones ex ejus Seminarijs juvenibus plenas, tot seculares sacramentorum frequentia ferventes, tot in sacram Scripturam Commentaria æque docta, ac acuta, tantam Theologię scholasticę excellentiam (ut si inter discipulos annumeretur, qui ab alio discit, nullus hoc tempore sit Theologus, qui discipulus hujus Ordinis non sit): tot insuper Libros respicite, quos in hac, & alijs Facultatibus conscripserunt, tantum sanguinem pro Fide fusum, tot sanctos, tot illustres viros &c.: quę omnia in-

Probatur insuper ex commendatione Sanctorum.

S. Josaphat.

Probatur denique ex aliorum Ordinum elogijs.

Elog. Manrique Cisterc.

numeris Societatem laudibus ornant. Haftenus Illust. Manrique.

Elog. alter.
Cisterciens.
Vid. Lib.
P. R. Sal-
nantio. de
Beatif. S.
Ignatij.

135 Cui subjungo alium è Cistercio Hispanico Virum egregium, Sebastianum de la Parra, qui Societatis economia in falciculum colligens, eam appellat *Hierusalem novam, Matrem illustrium Virorum, Deorumque fortium, Civitatem Dei, Mare immensum doctrinae coelestis, Fontem amoris, pietatis, poenitentiae, meditationis altissimae, mortificationis, ardentis zelus ac demum Templum Fidei, Religionis, Modestia, Amore, ac Scientia, velut lapidibus pretiosis constructum.*

Elog. Cisterc.
Estrada.

136 Plura, nec minora, nisi obitaret prolixitas, referre possem ex insigni alio Cisterciensi Ludovico Estrada, Monasterij Hortensis olim Abbate, qui pro Societate calumnijs vexata longum scripsit Apologeticum: ex quo tantum excerpo, quae pravum Anserem rubore suffundent, verba sequentia: *Quibus lacrymis illorum caecitatem deplorabimus, qui privatum, ac publicè adversus Societatem persecutiones commovent? Hos sanè lamentabatur Propbeta, cum dicebat: Vae vobis cæci, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, & qui habetis lucem tenebras, & tenebras lucem.* Deinde peramanter vindicat famam Societatis, cujus sanctimoniam miris laudibus effert, Deus immortalis! Quantum distat Cygnus ab Anseri! Quantum germana Bernardi soboles à nothâ, & spurial!

Elog. insign.
Nat. Alex.
Dominic.

137 Venio ad Dominicanos, ex quibus amplam & confertissimam elogiorum silvam profectè possem, eò magis ad propositum finem opportunam, quò Religiosissimus & Clarissimus Praedicatorum Ordo ab stulto Vulgo minus creditur ergi Societatem benevolus. Sed nunc proferam duo tantummodò, quia nupera sunt, ac recentissima, nequis fortè dicat, Societatem nascentem à Dominicanis fuisse probatam, adultam improbari. Primum sumo ex Natali Alexandro, Doctore Parisiensi, & Scriptore percelebri: qui Hist. Eccles. lib. 15. & 16. cap. 7. art. 4. num. 14. postquam Societatis functionem, & confirmationem à Se te Apostolicâ multiplicem, simul cum varijs encomijs, tum suis, tum Summorum Pontificum, exposuit, hoc ipsemet eidem Societati pangit elogium. *Ab hujus Societatis viris sanctissimis, quos verè Novissimos Apostolos dixerimus, Christiana Religio ad Indos Orientales, Japonios, Aethiopes, Congitanos, Sinas, atque Gentes remotissimas illata & propagata est. Martyres plurimos Cœlo dedit, Confessores sanctissimos peperit, Ignatium Patriarcham, Franciscum Xavierium Indorum, & Japoniorum Apostolum, Franciscum Borja, quorum memoria solemnè ritu ab Ecclesiâ consecrata est, aliosque sacris factis dignos. Virorum omnium disciplinae genere doctissimorum in sinu suo ingenem numerum in hanc usque diem profudit, quorum præclara Opera a P. Allegambio in ejusdem Societatis Scriptorum Bibliothecâ recenseantur, statim ut in eâ Societate coli Deus cepit, invidiam sortita est: sed invidia superior, instar Ecclesie, etiam per persecutionibus crevit, instar Arcephæ tabatæ non aquis in sublimi evecta est, & ad eum gurgorem sanctitatis apicem promotæ, quæ ejus meritis ac aboribus pro Dei gloriam, pro salute proximorum, pro hæresum impugnatione,*

Societas in
persecutionib.
instar Eccle.
sic.

„ Fideique defensione , pro litterarum ac pietatis propagatione,
 „ concievatione , promotione , ac reliquis Ecclesiæ Catholicæ,
 „ Apostolicæ , & Romanæ utilitatibus , Dominus *rependit.*

137 Alterum elogium , idque nuperrimum , totius est Dominicanæ Universitatis Oriolanæ , vulgò *de Oribuela* , suffragio suo Librum approbantis Hispanicum , cui titulus , *Doctrina Practica à los Sacerdotes* , Valentiz typis editum anno 1736. , Authore R. P. Petro de Calatayud Societ. Jesu , celebri per Hispaniam Missionario Apostolico , & nunc magno cum plausu , & animarum fructu Lusitaniam peragrante. In eâ igitur Approbatione , præter elogium Authoris , & Operis , doctissimi Patriarchalis Collegij & Universitatis Dominicanæ Magistri , Societatem Jesu liberalissimè ac magnificentissimè laudant , & extollunt , Hispano idiomate , per hæc
 „ verba , *Es la sagrada Religion de la Compañia* , la que en la Ca-
 „ sa de Dios ocupa gloriosamente la primera silla del Honor ; cu-
 „ yo merecido aplauso no necesita de hiperboles , que estila sin-
 „ gir la adulacion , ò la fantasia ; porque entre todas es , sin dispa-
 „ ra , la que con mas ventajolos afanes ha servido , y sirve à la Igle-
 „ sia ; *Societas Jesu non est Ordo , qui eminentis laudibus exornatur , sed*
 „ *qui sine lite , plus Ecclesiæ Dei inservivit* : dixo con seria reflexion
 „ nuestro Maestro de Oliva Lo mesmo calificò el Oraculo de la
 „ Iglesia , quando dixo , que es *Maxima* la utilidad , que se sigue à
 „ las almas , y *Maximo* el incremento , que de la Religion de la
 „ Compañia à la Iglesia le resulta , uno y otro en grado *superlativo* , &c. Data est autem Approbatio hæc , ut præfertur : *En este Patriarchal Colegio de Predicadores , y Universidad de Oribuela , à 7. de Marzo de 1735.* Subscribunt , Fr. Jacinto Fover , *Maest. Cath. Jub. y Resor.* Fr. Vicente Insa , *Maest. y Cath. Jub.* Fr. Domingo San-
 „ Maria , *Maest. y Cath. Jub.* Fr. Domingo Terol , *Maest. Cathed. Jub. Reg.*
 „ Fr. Vicente Pià , *Cath. Jub.* Fr. Juan Tarret , *Cath. de Prima.* Fr. Vicente
 „ Ferrer , *Cath. de Vesper.*

Elog. magnific. Universit. Dominic.

138 Encomium hocce , sicut & alia quædam ex recensitis , quæ Societatem præferre videntur ceteris Ordinibus Religiosis , ingenti , ut par est , animi gratitudine suscipiunt Jesuitæ : sed non idèò se ceteris anteponunt ; quinimo Societatem suam identidem *Minimam* vocant ; tametsi non ignorent , quanta per eos , & in eis perierit Divina gratia. Sic enim Gentium Apostolus , *Ego* , inquit , *sum minimus Apostolorum , qui non sum dignus vocari Apostolus* ; & tamen subdic , *Gratia Dei in me vacua non fuit , sed abundantius omnibus laboravi.* Idem alibi , *Ego* , ait , *à vobis debui commendari ; nihil enim minus fui ab ijs , qui sunt supra modum Apostoli ; tametsi nihil sum.* Nec ego met Societatis laudes eo animo commemoravi , ut Jesuitas præponerem Regularibus ceteris , sed ut ostenderem non esse postponendos , si com nunc existimationem sensumque Fidelium attendere velimus. Unde concludo , *Majorem* illam syllogismi , quo Arnaldum & Affectas urgebant Calvinianæ Sectæ Prædicantes , (nempe , quòd Regulares ceteri , stellæ fulgentes in Ecclesiâ Romanâ , meliores non sunt , quàm Jesuitæ) , posse plausibiliter satis comprobari.

Societas non idèò præfertur alijs Ordinibus Religios.

1. Cor. 15.
2. Cor. 12.

S. XV.

CONVENITUR, ET CONSTRINGITUR EX DICTIS ANSERINA
procacitas.

Minor Syllogismi n. 127. propositi, falsa omnino est, sed ab Anseri abnegari non poterit.

Absurditas, & impietas ingens, ab Anseri devoranda.

An doctrina Societatis perpererit Anser?

Anser Scholæ Jesuiticæ deservitor.

139 **N**UNC cedo mihi, Anser incaute, quid in syllogismo Hæreticorum sis negaturus. *Majorem* respere si tentes, obrueris densâ nube Testium, quos à Te recusari nec fas, nec integrum. *Minorem* ego rotundè negabo, negabitque probus & prudens quisque Catholicus; nec *Theatrum*, *Moralem Practicam*, & ceteros ejusmodi Libellos explodere & abominari cunctabitur. Tu verò, inconsiderate Passercule, quonam modo poteris illam abnutare, nisi Libellum tuum palam abneges, & omnino retrahes? Si enim vera sunt, quæ inibi prodigialiter ac nefariè blasphemias, Jesuitas oportet esse mortalium corruptissimos, utpotè cives ac filios Babylonis Meretricis magnæ, cunctarum Matris abominationum, quæ meritò dicenda erit *Synagoga Satana*; siquidem Congregatio est Raptorum, vel potius *Doemonum*, sub hujus Mundi Principe Satanâ militantium. Superest igitur, ut Consequentiam illius syllogismi concedas cum Prædicantibus Hugonotis, ipsisque suffragium adjungas tuum, quo totam Romanam Ecclesiam fidentius asserant in doctrinâ & moribus corruptissimam. Vide jam, & considera, mala Avis, quo fructu, quo Sanctæ Ecclesiæ commodo, quovè Sectariorum emolumento, & Tu, & siqui sunt Catholici similes tui, satyras in Jesuitas edatis, & quaquaversùm disseminetis.

140 At, inquires, abstinui saltem ab infamandâ Jesuitarum doctrinâ, nec in hujusmodi criminatione suffragatus sum Jansenistis. Abstinuisti quidem à clarâ & apertâ doctrinæ infamatione; ut Cisterciensibus tuis Scholæ Jesuiticæ suffragantibus in præsentia parceres. Sed satis superquè, quid sentias, quid paratus sis dicere, intelligentibus indicas. Nam primùm, jam ludere incipis æquivoco nomine *Molinistarum*, quod juxta Jansenianum Lexicon, Pelagianismum denotat in Jesuitis. Deinde, Jesuiticam Scholam traducis velut nutricem *rapacium Milvorum*, qui vix è terrâ volatum erigunt, adeoque nihil nisi terrena sapere discunt, & ab Augustini, Bernardi, & Thomæ doctrinâ longissimè recedunt.

141 Præterea, non dissimulanter ostendis probari tibi summo perè, quæ de Jesuitis in *Morali Practicâ*, in *Tubis*, & in alijs Jansenistarum satyris leguntur: in his autem charis tibi Libellis, non solum mores, sed Theologia quodquæ Jesuitarum, tum Scholastica, tum Moralis, multifariam carpitur, & infamatur. Denique, Scholam istam, velut fastiditam, & ingenio tuo prorsus indignam, deserit à Te, vel confestim desertum iri denuntias; disruptis compedibus, & manicis ferreis, quibus Te constrictum hucusque fuisset vehementer doles, & indignaris. Quid tum de homine Jansenianis instructo satyris sperandum? Responso in promptu est: Jesuitas dehinc liberè & intrepidè vocabis *Molinistas*, id est, novos Pelagij discipulos, Evangelicæ doctrinæ morum depravatores: quamquam

quàm si ad Scholam accesseris Thomisticam, spero fore ut à primarijs in eâ Magistris dedoccearis (siquid potest dediscere senectus indocilis) de Jesuitis malè sentire, & indignè loqui.

142 Quibus lacrymis, suspirijs, threnodijs viduitatem suam Te discedente lamentabitur desolata Schola, jam in Prodromo prænotavi: acque ibidem ad solatium miseræ suggessi cantilenam *Altifidora*, crudelem *Quixotum* alloquentis; cujus concentu dolorem suum Schola infelix utcumque levabit. Versiculus ibi memoratus,

Schola deserta lamentatio,

Cruel Mireno,

Fugitivo Enèas,

Barrabàs te acompaÑe,

Y allà te avengas:

Versiculus, inquam, ille, succentivus est cantilenæ longioris à Quixoti Biographo relatæ; quam tibi per otium legere licebit *Part. 2. lib. 8. cap. 57.* Nolim tamen, illa ut incurras mala, quæ inibi cordolium Amasiæ imprecatur ingrato, & fugitivo; ut cum ait;

Si te cortares los callos,

Sangre tus heridas viertan;

Y quedente los raygones,

Si te sacares las muelas.

Cui consonant aliæ quædam ad mentem afflictæ imprecationes; quarum è multis ad me missis ab amico Hispano, paucas accipe.

Si vas, en vez de ir al Coro,

A la Plaza con muleta,

Tus tropezones al Mundo

Muefren de que pié cojèas.

Quando probares los Vinos

Preciosos de tu Frasquera,

Abochornados los balles,

Y en vinagre se te vuelvan;

Si bicieres nueva recluta

De Peralta, ò de Lucena,

No pare Gota en tus frascos

Toda se passe à tus piernas:

Cruel Mireno &c.

143 His, & alijs cantiunculis acerbiter doloris mulcerè conabitur Schola deserta: sed interea Tu, Anser immisericors, manicis compedibusque solutus, & liberum jam aëra respirans, Jesuitas non solùm in moribus, sed in doctrinâ quoquè depravatos, novo Libello ex ijdem Jan'senistarum fontibus derivato, palam & sine ambagibus declarabis: ne, Judice te, hac ex parte claudicat syllogismus Prædicantium.

144 Priusquàm hinc abcedam, occasione laudum, quas de Societate commemoravi, non possum quin iterùm meminerim urbanitatis ac modestiæ tuæ mirabilis, cui nihil uspiam simile reperero; illius nempe, quâ Jesuitas per contemptum interrogas, *Qui estis Vos omnes?* & continuò pronuntias, eos omnes Cisterciensibus tuis tantùm cedere, quantum cedunt viburna cupressis. Ad inter-

Consist. n.º 36.

Inverecunda interrogatio.

1. Cor. 4.

Responſo Jeſuitarum.

Pſalm. 21.

Quid pro Jeſuitis reſpondeant Cordaxi quique?

Conſiſt. n.

12.

Ridicula comparatio.

rogationem iſtam perurbanam reſpondebant, credo, Jeſuitæ verbis Apoſtoli: *Deus nos Apoſtolos noſtiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & Homi- nibus. Nos ſtulti propter Chriſtum: Vos autem (Cistercienses) prudentes in Chriſto: Nos infirmi; Vos autem fortes: Vos nobiles; Nos autem ignobiles. Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus (præſertim in Miſſionibus Madurenſibus, Canadenſibus, plurimiſque alijs apud barbaras in extremitate Mundi Nationes), & colaphis egredimur (nuper à Monacho veſtro, ſed veſtri Habitûs indigno), & laboramus operantes manibus noſtris (non aratro, ſed calamo contra errores, & vitia); maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta hujus Mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc. Addet inſuper unusquiſque cum Regio Pſalme in perſonâ Domini loquente: *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectus plebis.* Hæc citra dubium, & nihil aliud, reponent tibi Jeſuitæ.*

145 Sed, ſi meliùs noſcere cupis, quod genus hominum Societas alac, ne Jeſuitas ipſos interroga, qui de ſe, ut veros decet Religioſos, demiffè admodùm, atque humiliter ſentiunt. Interroga potiùs Summos Pontifices, Principes Catholicos, Viros ex omni ſtatu probos, ſapientes, perilluſtres, Cistercienses Congregationis tuæ meliores Te, primarios Prædicatorum Ordinis Magiſtros, ceterorum quòque Religioſorum Ordinum inſignes pietate, & ſapientiâ Heroas, Ipſi te docebunt, in Societate Jeſu, tanquam in agro Domini fertiliffimo, proceras creſcere Cypariſſos, Cedros, Palmas, Olivas fructiferas, quæ non ſolum ad nubes, ſed ad Em- pyreum uſque verticem attolunt. Non eſt dubitandum, in alijs quòque Religioſis Ordinibus, velut totidem Eccleſiæ Viridarijs, & Hortis florentiffimis, Plantas & Arbores excreſcere pariter fructiferas, & altitudine ſydera ſuperantes. Verùm id Societati denegare per odioſam & immodèſtam comparationem, ac Jeſuitas omnes, quaſi homines nihili, vixque dignoſci meritos, aut alicujus in Eccleſiâ nominis, per ſummum contemptum interrogare, *Qui eſtis Vos omnes?* hoc, inquam, ſolius eſt imprudentis & impudentis Anſeris, omni deſtituti judicio, reſpectu, verecandiâ.

146 Porro lepidiffimum eſt, & ingenio tuo digniffimum, Cistercienses in eo diſcernere à Jeſuitis, quòd illi, non illi, ſint Eccleſiæ proficientes, proximos adjuvantes, eleemoſynas largientes. Hæc dum legit Hiſpanus neſcio quis, joculariter abutens vernaculâ phraſi, quâ, ſiquid aliquis facit egregiè, dicitur facere *como un Bernardo*, ſtatim erupit in facietias hæc Latino-hiſpanicas: *Beatus ille Jeſuita, qui ad ruſticos & pauperes audiendos in Conſiſtionali ſedeat, como un Bernardo: qui moribundis aſſiſtat, qui carceres & ergaſtula viſitet, qui noſocomia frequenter adeat, ut miſeros ægroſque ſalubriter inſtruat, & conſoletur, como un Bernardo: qui pueros ac juvenes chriſtianæ doctrinæ ac litterarum tudimentis imbuat, & in omni Diſciplinarum genere perficiat, como un Bernardo: qui Miſſionum Apoſtolico miniſterio incumbat, qui rudes & ig-
ros*

fos Fidei mysteria, & christiana morum præcepta doceat, qui ad Gentes barbaras, & in Mundum eat universum, omni creaturæ prædicaturus Evangelium, como un Bernardo. Sic jocolator ille; à quo, ut perspicuum est, nomen Bernardi accipitur ut appellativum Cisterciensium apud Hispanos; minimè verò ut proprium Mellisui Doctoris, quem Apostolica obiisse ministeria magno cum Ecclesiæ profectu, Fideique ac pietatis emolumento, certo certius est, & omnibus notum. Enimverò Cisterciense Institutum novos plurimosque sine dubio creat Antonios, Pachomios, Macarios, Eremis abditos, Choris intentos, contemplationi deditos, qui sanctæ Ecclesiæ summopere proficiunt odore virtutum, ac Religiosæ vitæ; simulque proximos adjuvant assiduis ad Deum precibus, & exemplis optimis. At Institutum Societatis, ut nuper agebat Natalis Alexander, novos creat Apostolos, quorum propria vocationis ministeria, nullo tempore negligenter obita, quantum Ecclesiæ sanctæ proficiant, & proximos ad salutem adjuvent, nemo non videat, nisi qui trabem gestet in oculis.

§ 47 Quod ad eleemosynas attinet, pauperes & mendicos interroga, maledice Anser. Ex eis discere poteris (quod mihi ex fidedignis testibus innotuit) Collegium Salmanticense v. g. non exiguâ panis, & jasculi portione magnum quotidie reficere numerum pauperum, qui, dum sterilis premit annus, sæpè nongenti, sæpè mille, ac supra mille concurrunt per dies singulos ad januam domûs inferiorum, præter eos, qui mane ac vespere principalem adire januam, & eleemosynam inibi accipere non cessant. Idcirco idem Collegium in externis pauperibus plus frumenti quotannis impendere solet, quàm in domesticis Religiosis, & famulis alendis: quin & multoties ære alieno gravari cogitur, nequid de consueta eleemosynis imminuat. Id ipsum ferè contingit in alijs Jesuitarum Collegijs, quamvis pleraque longè minùs copiosos, quàm Cisterciensia Monasteria, redditus habeant. Eleemosynarum elargitio, una inter præcipuas est cura Rectorum; qui certè nihil inde subtrahunt, ut ex Prælaturâ divites evadant. Talibus immorans, videbor ineptus, aut temporis prodigus: sed mihi lis est cum insulso capite meridianâ in luce caligante.

S. XVI.

DESCRIBUNTUR DOTES ANSERIS: ET CALUMNIOSA EJUS IN Societatem maledicta percurruntur ac dissipantur singulatim.

148 **H**ugonotorum contra Ecclesiam Romanam syllogismum, num. 127. relatam, agebam à me repulsum iri facilimè, Minorem intrepidè negando, Tbeatrumque, ac reliquos Janseuitarum Libellos, tanquam testes infames, & omni prorsus indignos fide, reiiciendo. Sed quid, si Hugonotus aliquis, Confilius Anseris armatus, Minorem illam probare contendat, meque simul arguere, ac rubore suffundere, testimonio, ut sibi videbitur, irrefragabili? Quâ fronte (inquiet ad me Hugonotus), quâ temeritate negare audebis Jesuitas esse mortales, & hominissimos? Nonnè vaniloqui sunt, avari, superbi, gy... mium cu-
L... pien-

Quid Cisterciensibus: quid Jesuitis ex Instituto proprium

Eleemosynas an erogent Jesuitæ?

*Ut infultabit
Hugonotus
auctoritate
Anferis?*

*Constit. n.
34. & seqq.*

*Infallibilitat
Anferis pro-
pria ipsius
rhetoratio-
ne probatur.*

Constit. n. 36

*Exceptiones
contra pra-
tens. infalli-
bilit.*

Notes Anferis.

*Adversus au-
toritatem ejus
Antidotum.*

pientes, rapinis intenti, subverlores testamentorum, & reliquis praedicti dotibus, ab aureo isto Authore, Chrysofomo altero, elegantissimè descriptis? Nè Tu fidem Authori tanto, quasi mentienti, aut humanitùs erranti, derogare tentaveris, sicuti derogas Scioppio, Arnaldo, & reliquis ab Ecclesiâ damnatis. Nam quis, quantusque Vir iste? *Homo* quidem est *metaphysicè*: at *ferè non homo moraliter obnoxius errori*. Nihil proclivius, quàm ut ipse probeatur infallibilis, si rhetoricam ejus pro Guillelmo figuram imitari velimus.

149 Quia enim Catholicus est, Hispanus, & in Urbe Regiâ Matrilo scribens coram Supremo Sanctæ Inquisitionis Tribunalis; vix dici potest errori obnoxius. Quia Monachus, quia Sacerdos, quia non semel Abbas in dignitate constitutus; minùs obnoxius. Quia sui Ordinis Definitor, Generalis Magister, & Historiographus etiam Generalis, vulgo *Coronista*; minùs obnoxius. Quia Cisterciensis ex Congregatione Hispanicâ, quia Jesuiticæ Scholæ sectator, atque adeò Jesuitarum Amicus, nulliusque in eos odij, vel malevolentia suspectus; minùs obnoxius; quia senex, & podagrâ laborans, adeòque non nisi lentè ac pedetentim incedens, & in cunctis maturè procedens; minùs obnoxius. Quia scipione innixus graditur, in se uno complens ænigma vetus ab Ædipo solutum, utpotè *animal manè quadrupes, meridiè bipes, vesperi tripes*, quo sic, ut loquatur ex tripode, siquid loquitur, meraque proferat oracula, mera mysteria; minùs obnoxius. Quid tu veracitatis desideres in sene famoso, annofo, ærumnoso, taceto, salito, piperato? *Ecce homo. Ecce homo.*

150 Hæc dum ex Hugonoto audiero, quid sim responsurus, juvat nunc ante pugnam velitatione quâdam experiri. Et in primis, quid in sene isto desiderem, incunctanter dixerò. Modestiam desidero, prudentiam, judicium, urbanitatem, charitatem, veritatem, litteraturam, timorem Dei, obedientiam ad Summorum Pontificum decreta, & ad crebra Sanctæ Inquisitionis Edicta. In summâ, quidquid est honesti viri ac Religiosi hominis proprium, desiderare cogor in sene moroso, cariolo, bilioso, calcitroso, litigioso, calumnioso, cerebro magis, quàm pedibus podagroso, nugaci, mordaci, mendaci, scivolo, insullo, insipido, Dionysij cultore, & Celestinae Matris discipulo. Catholicus est: sed in putridis Hæreticorum lacunis bibit, quidquid in Jesuitas evomit. Matrilo scribit, & coram Sanctæ Inquisitionis Tribunali supremo: sed factim scribit, sine facultate, sine nomine Authoris, sine typographi, vel typographiæ mentione; quo satis conscientiam prodit criminiosam, & sibi à Sacro Tribunali timentem. Monachus est, Sacerdos est, & magnificis decoratus titulis in Ordine suo: sed, ut oratram dicere quâ viâ, quâ ratione, titulos honoris obtinuerit, an pro meritis, an pro bono pacis; certum est, sub talibus titulis delitescere posse genium & ingenium mirè perversum; quemadmodum sub titulo *Apostoli*, *cunstan*, istos longè superante, delituit olim sceleratus protervus Discipulus, ne ipsâ quidem Christi Domini disciplinâ eorum Apostolico quis est; sed lux professionis penitus im-

memor : Suarianæ doctrinæ sectator ; sed jam transfuga , & Scholam abjurans ; Jesuitarum quoque ad speciem Amicus ; sed hinc , ac re ipsâ ofor , & nunc apertissimè inimicus , magisque in Societatem injuriis ex qualicumque opinione veteris amicitia ; *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi* (inquiet in præsentem Societatem) , *sustinissem utique : & si is , qui oderat me , super me magna locutus fuisset , abscondissem me forsitan ab eo . Tu verò homo unanimitatis & c .* Denique senex est , grandævus est : sed *senex , qui non implet dies suos , quoniam puer centum annorum morietur .* Podagrâ præpeditus , incendit quidem lento gressu , sed mente præcipiti : nec scipio efficit , quominus ille sit ex ijs , qui *claudicant in duas partes , vel qui claudicaverunt à semitâ suis* , videlicet à Matre optima demonstratis .

151 Sed age , mendacitatem calumniarum ejus , & futilitatem præstringamus . Societatem Jesu Babylonem stultè vocat : & Jesuitas vult præfiguratos in Afsyrijs , à Nabuchodonosor Babylonis Rege missis ad pugnandum Holoferne duce contra Populum Dei , & contra omnes Mundi Nationes . Sed inconsideratum caput nequam animadvertit consequenter sibi dicendum multiplici blasphemiam ; quòd Summus Pontifex , à quo Jesuitæ ex peculiari voto missionem accipiunt , in Nabuchodonosor fuit præfiguratus ; quòd Ecclesia Romana , ubi Papa regnat vice Christi , vocanda erit Babylon , ut passim vocatur ab Hæreticis , *Babylon* , inquam , magna , sub quâ Jesu Societas Babylon parva continetur ; quòd S. Ignatius , vel etiam Dominus ipse Jesus , cujus sub nomine ductaque Afsyrii isti figurati militant , appellandus erit Holofernes ; & quòd Gentes Paganorum , & Hæreticorum , quas per arma lucis debellandas , & per crucem Christi subjugandas Jesuitæ suscipiunt , comparandæ erunt Populo Bethulix , seu Populo Dei , priusquam indomita colla submittant Evangelicæ Legis jugo suavi , & oneri levi . Verissimè tamen dici poterit sano sensu , quòd bellum gladio & igne gerunt cum toto terrarum Orbe Jesuitæ : sunt enim milites ejus , qui dixit : *Non veni pacem mittere , sed gladium : & , Ignem veni mittere in terram .* Sed qui Jesuitas propterea censeat Afsyrios , aut inimicos , ille sit oportet cum vitijs , & erroribus fæderatus .

152 Infinita mihi contra stolidam calumniam Anseris testimonia suppetunt . Sed unum dumtaxat proferam Florimundi Remundi in Opere laudatissimo de Orig. Hæres. : ubi postquam Societatis labores , Ecclesiæ torique Mundo proficuos , eoque laudavit , Jesuitas inducit auxiliium ferentes Populo Dei contra veri nominis Afsyrios , verumque Afsyriorum Regem Sennacherib : *Quis* (inquiet) *non dicet , Societatem Jesu Auxiliarem esse Manum contra novum Sennacherib submissam ?* Quam etiam firmiter sperandum est non prius defuturam (notet Anser hoc sani iudicij vaticinium) , quam omnes hæreses sint extinctæ . *Divinitus hoc missa est Societas , ut Mundo felicitatem , Ecclesiæ , sibi gloriam pareret , & adferret .*

153 *At Vos expoliatores estis* (ait ad Jesuitas Anser) , *raptores*

Filius amicus , transfuga , verus hostis .

Psal. 54 .

Isai. 65 .

3 . Reg. 18 .

Psal. 17 .

Stulta cogitatio de figuratis Afsyrijs , & Babylone .

Mundo bellum inditum à Jesuitis .

Matth. 10 .

Luca 12 .

Florimund. Remund. ap. Gom. Par. 2. Class. 10 .

Isai. 3.
Jesuitæ rap-
tores, & ex-
poliatores,
exemplo du-
cis Jesu.
Coloss. 2.

res estis. Utiq; Passercule nequam, expoliatores sunt, raptores sunt Je-
suitæ: tales enim esse decet Jesum habentes ducem, de quo ad Isaiam
Dominus: *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: Festina prædari.*
„ Quasi dicat, ut exponit Cornelius à Lapide: *Tu puer, ò Christe,*
„ eris celerrimus prædator, Tu citissimè nos, qui eramus spolia
„ Diaboli, ab eo tibi detrahes, Orbemque convertes, & pervades
„ quasi fulgur. Christus celeriter spoliabit, & prædabitur regnum
„ Diaboli, dum ascendens in altum, captivam ducet captivitatem.
„ Hoc est, quod de Christo ait Paulus: *Expolians Principatus &*
„ *Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.*
„ Talis prædo, & spoliator Diaboli fuit Paulus, de quo Jacob Ge-
„ nes. 49: *Benjamin lupus rapax: mane comedet prædam, & vespe-*
„ *re dividet spolia.* Hactenùs Cornelius: qui antè præmiserat, ad
Christum pertinere vaticinium aliud Jacob Genes. 49: *Calulus*
Leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti. Quidni ergo, & ad Je-
suitas per imitationem Ductoris sui omnia ista pertineant?

Hebr. 9.

Antè cap. 8.

Ibid.

Eod. exemplo
Testament a
mutantes.

154 Sunt præterea Jesuitæ, siqua fides Anseri, hæreditatum
captatores, & in suum commodum testamenta revocari facientes;
nihilque, nisi honorem, & divitias ambiunt. Nesciens Anser vera
se dicere, vera dicit: quemadmodum Caiphas præter intentio-
nem prophetavit. Imitantur enim Jesuitæ Jesum, qui revocato, vel
antiquato veteri, novum condidit Testamentum; *Et idè novi Tes-*
tamenti Mediator est; ut morte intercedente, .. repromissionem accipiant,
qui vocati sunt, aternæ hæreditatis. Verba sunt Apostoli; ut & se-
quentia: *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem anti-*
quatur, & senescit, propè interitum est. Sanè inter alias Dei promissio-
nes, in Testamento novo contentas, hanc numerat Apostolus:
Non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum,
dicens, Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad
majorem eorum. Quis non videat, quo labore, quo fructu infudent
Jesuitæ, ut hac in parte veterato priori novum Testamentum im-
pleatur? Ut juxta mentem Ecclesiæ concinentis, *Recedant vetera,*
Nova sint omnia? utque *repromissionem accipiamus omnes aternæ hære-*
ditatis? Quis nesciat, eorum ministerio tam Infideles, quàm Fide-
les à minore usque ad majorem, doceri cognitionem Dei, & myste-
riorum Fidei scientiam?

Quo sensu
hæredipetæ,
& ambitiosæ?
Psal. 2.
1. Petri 1.

Psal. 111.

155 Nemo itaque dubitaverit, Jesuitas esse Testamentorum
variationis amantes. Nemo item negaverit hæredipetas esse, dum
impigrè adnituntur, ut ad plenum perducatur effectum promissio
Davidico ore facta Christo Domino: *Dabo tibi Gentes hæreditatem*
tuam, & possessionem tuam terminis terræ: dumque summis viribus in
id incumbunt, ut tam ipsi, quàm proximi ex omni Natione, quæ
sub Cælo est, feliciter perveniant in hæreditatem incorruptibilem, &
incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in Cælis, .. para-
tam revelari in tempore novæ. Nec eorum ambitio negligenter
studet, ut in qualibet Societatis dō. verum habeant sensum, à
Divino intentum Spiritu, canora verba Psalms: *Gloria, & divitiæ*
in Domo ejus: & justitia ejus manet in seculum seculi.

Scio

156 Scio Te, maledice Anser, non hoc sensu loqui de ambitione, de testamentis, & hæreditatibus, Jesuitarum operâ conquisitis. Sed quid inde? Scio pariter, meram te recoquere crambem *Theatri Jesuitici*, dum toties in Libello tuo rapinas, avaritiam, & cupiditatem divitiarum Jesuitis exprobras. Unde, ut calumnia tua in cineres & fumos abeat, satis superque sunt ignes ignominiosi, quibus jamdudum arsit infame *Theatrum*. Abstinuisses credo ab inurendo turpem avaritiæ notam Religiosis, quasi prætextu ministeriorum spiritualium quærentibus, non quæ Christi sunt, sed quæ sunt aliorum temporalia bona, si nosses, aut meminisses, veterem hanc esse adversus Monachos & Regulares quosque cantilenam, sæpius ex invidiâ profectam, nonnumquam ex zelo, Vulgi rumoribus prævento. Legesis Opuscula Doctorum Angelici, & Seraphici, qui notam istam, Religionibus suis olim objectam, responsione Jesuitis aptissimâ validè repellunt, Et scito, si nescis, ne Cistercienses quidem Monachos ab hujusmodi cupiditatis criminatione semper immunes extitisse. Cujus rei testimonia nonnulla, non ex *Theatro*, non ex *Tubis*, non ex damnatis *Consultationibus* deprompta, sed ex idoneis Authoribus accipe.

Unde calumnias istas desumat Anser.

Calumnie veteres in Religiosos.

157 Magnus ille vir Petrus Cluniacensis Abbas, cui, velut alteri Bedæ, *Venerabilis* cognomen asseruit notissima sanctitas, orto dissidio Cistercienses inter & Cluniacenses super Decimarum solutione, graviter eâ de re cum Abbatibus Cistercij, in Generali Capitulo congregatis, exposulat epistolis 36., & 37. Lib. 1: ubi allegato Patrum exemplo, sic Cistercienses alloquitur: *Si igitur horum (Patrum) metas exceditis, quid nisi maledicis detrahendi occasiorem datis? Sed de lucro res igitur. Quod certe lucrum putatur, ubi & fama leditur, & charitas periclitatur? Nam (ut quod verum est Fratribus & amicis fatear) hoc uno verbo, velut uno jaculo, amicorum pariter & amulorum pectora tercebrastis, & Episcopos, Clericos, Abbates, Monachos, ipsos etiam, ad quos pervenire potuit, Laicos, adversum vos unanimiter cencitastis. Nec potuit Satanæ nequitia sua utilis invenire consilium, quàm ut eos, quos Mundus admirabatur, ne admirans imitaretur, notâ cupiditatis inureret; & alios læsonis suæ dolore simulatos ab eorum amore revocaret.* Hinc, Anser, duo collige: alterum, Cistercienses quodque laborasse nonnumquam cupiditatis notâ; alterum, consilio *Satanæ* te duci dum Jesuitis notam istam affingis, ut in eos concites odium sæcularium.

De Cisterciensibus. hac in re querimonias Venerabilis.

158 Non multò post Summ. Pont. Alexander III. datâ ad *Apud Natal. Alex. Histor. Eccles. sec. 11, & 12. cap. 7. art. 8. ad fin. Super ead. re Pontificia ad Cisterciens. admonitio.*
Abbatem Cisterciensis Ordinis epistolâ, talia ipsis vitia, qualia Jesuitis Anser, exprobrat his verbis: *Ab illâ sanctâ Institutione dicitur declinatum, in tantum ut aique ex vobis Patrie Institutionis oblitæ, contra Ordinis vestri Regulam, Villas, Ecclesias, & Altaria possident; Fideitates, & Hominia benignè suscipiunt; Justitias, & Tributarias tenent; & omne studium adhibent ut termini eorum dilatentur in terris, quarum conversatio in cæcis debet esse. Inde est, quod vobis ab istis, qui Pontificia ad vos sunt, contentiones & litigia suscitentur, & Abbatibus in causis foris occupatis ut plurimum, in commissis Domibus & tempor. Ordinis,*

¶ *dissolutio nascitur charitatis, maxime quia cum paupertate charitas plus proficit.* Si hac tempestate viveret ille Pontifex, addere posset, non solum ab ijs, qui foris sunt, sed ab ijs etiam, qui intus sunt, suscitata litigia.

*Nat. Alex. in
sec. 11., &
12. Dissert.
10. art. 7.
Regla eodem
pertinens que-
stionaria.*

*Non intendit
Gallus in 2. u-
are Cygnos.*

*Eadem, &
majores olim
criminationes
contra Ordinem
Mendicantes.*

*D. Thom olim
pro Societate
respondit.*

159 Cum Cistercienses Monachi S. Thomam Cantuariensem à Pontiniaco Monasterio discedere permiserunt, ne jacturam bonorum temporalium paterentur in Angliam, tunc, inquit Natalis, Alexander, Fœdam illam Monachorum ignaviam & cupiditatem sibi scandalo fuisse significavit Rex Christianissimus Ludovicus VII., cum per nuntium à S. Archipræfule missum eam de re certior factus est. Ipsum enim exclamasse: „O Religio! O Religio! Ubi es! Ecce enim, quos credebamus seculo mortuos, sæculi ruinas timentes, & pro rebus caducis, quas propter Dominum contempnissimè profitentur, à Dei opere, quod ceperant, convertuntur retrorsum, Dei causam exultantem ejicientes à se:”, tradit Historia Quadripartita, seu Vita S. Thomæ lib. 2. cap. 17., cui consentit Gervasius Dorobernensis in Chronico pag. 1401., additque, Regem Christianissimum sibi ipse gratulatum, quod hæc sibi data esset occasio Archipræfule sancto subveniendi, misisse Virum Nobilem &c. Hucusque Natalis Alexander. Relata hæc sunt, non ad fugillationem Ordinis sanctissimi, qui licet aliquando, & in nonnullis aut Monachis, aut Monasterijs, ut fert humanæ fragilitatis conditio, notam incurrerit hujusmodi, non tamen semper, nec unquam in omnibus, aut in plerisque: sed ad correctionem procacissimi Anseris, qui passim in Conflitu suo adversus Jesuitas criminationem istam volvit, ac revolvit.

160 Pro reliquis ejusdem furfuris criminationibus diluendis, Anserem deprecor, ne gravetur legere D. Thomæ Opusculum contra impugnantes Religionem, præsertim Capp. 10., 13., 14., 15., 16., 17., 18., 19., & reliqua usque ad finem Opusculi. Ibi quippe inveniet, illius ætatis Religiosos, certè non Jesuitas, à malevolis accusatos, ac diffamatos fuisse, quod gyrovagi essent, & circumquaque discurrentes; quod semetipsos, suamque Religionem superbe commendarent; quod detractoribus suis resisterent, & persecutores puniri curarent; quod in judicio contenderent, nec libis abstinerent; quod exultarent de his, quæ per eos Deus magnificè operabatur; quod hominibus placere vellent, & favorem Principum, & Optimatum frequentarent; quod essent Pseudo-Apostoli, Pseudo-Prophete, & Pseudo-Christi, necnon lupi rapaces, fures, latrones, & penetrantes domos; quod ea mala & peccata præferrent, quæ in finali Ecclesiâ timentur, idèdque Nuntij, & Præcursores essent Antichristi, cujus tempora è vicino instare videbantur; ac demùm quod bona ipsorum opera, tamquam hypocritarum, suspecta, simulata, vel perversa intentione depravata forent. Cumque incautus Anser argumenta legerit, quibus Doctor Angelicus calumnias istas depellit, ac dissipat; ipsæ imposturas suas facile depulsas ac dissipatas putet: non enim alia Jesuitis opus est

responsione, præter Opusculum S. Doctoris, quod te verâ efficacissima & aptissima est Apologia Societatis.

161 Interim, si capax est Anser correctionis, nec in pravum induruit omninò, proderit ipsi forsitan Melliflui Parentis objurgatio ad Cistercienses quosdam, etiam primitivos, Cluniacensibus Monachis detrahentes, tamen multò levius. Unde mihi (inquit S. Bernardus) *conveniendi sunt quidam de Ordine nostro, qui contra illam sententiam: Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: alijs Ordinibus derogare dicuntur; & suam justitiam solam volentes constituerè, justitiæ Dei non sunt subiecti: quos profectò (siqui tamen hujusmodi sunt) nec nostri, nec cuiuspiam esse Ordinis verius dixerim. Quippe qui etsi ordinatè viventes, superbè tamen loquentes, civem se faciunt Babylonis, id est, confusio in filios tenebrarum, ipsius gebennæ, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror habitat. Hæc Bernardus. Et en, prave Anser, qui te Judicem faciens, ante tempus judicas, & Societatem Jesu Babylonem esse decernis: en, ut hoc ipso nec Cisterciensis es, nec alterius Ordinis, sed potiùs civem te facis Babylonis, filium tenebrarum, filium gebennæ, ubi nullus ordo &c., & quidem Judice sanctissimo Bernardo.*

162 Qui postea degeneres illos Cistercienses increpans, quòd trabem proprijs ex oculis non egerent, quasi tecum loquatur, ita subjungit: *Queris quam trabem? An non grandis & grossa trabes, est superbia, quæ te patas esse aliquid, cum nihil sis? Infantisimè, tibi tamquam sanus exultas, & alijs vanissimè, trabem portans, de festucis insultas. Gratias, inquis, ago tibi Deus, quia non sum sicut ceteri hominum, Injusti, Raptores. Sequere ergo, & dic Detractores. Neque enim minima est hæc festuca inter ceteras. Quare, cum tam diligenter alias enumeres, istam taces? Si pro nullâ, vel minimâ habes, audi Apostolum: Neque maledicti, ait, Regnum Dei possidebunt. Proponit deinde adhortationem Pauli, *Amulamini charissimata meliora, subdens: Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem; in quo alios deprimis, charitatem; quæ sunt proculdubio charissimata meliora. Hucusque Parens Mellifluus: cujus doctrina utinam tibi, calumniose Passercule, saniorè mentem adferat!**

163 Sed adhuc fugillas Jesuitas, quasi domibus suis avolent statim ac ad vesperum inclinat dies, ut scilicet calles & plateas circumvolitent mere Corvorum, vel ad Principum ac Divitum advolent domos, è quibus, ut ais, ferè nunquam exeunt, cum humiles pauperum casas intrent ferè nunquam. Avolant utique, bonæ Anser, circumvolitant, & advolant mystici Corvi, quòd eamque vocat eos charitas, aut zelus animarum, ac divinæ gloriæ: sic enim volitare oportet imitatores Cherubim, Gloriam Domini portantium, qui præpetes ibant & revertebantur in similitudinem fugæ coruscantis. Non postulat Institutum Societatis homines Eremitis additos, aut Choris intentos: nec Jesuitas ita dedecet calles, ut Monachum gramaosum, quem nec professio, nec podagra,

In Apolog. ad
Guillel. Abbat.
Rom. 10.

Vivida S. Bernardi
reprehensio ad Anserem.

Anser à S.
Bernardo increpatus in
presenti crimine.

1. Cor. 6.

Jesuita cur
proprijs domibus egrediantur?

Excep. 1.

Non eadem nec senectus Eremito addicere, aut Choro detinere valet, quin amara Anseri iusta eos ambaulet calles, plateas visitet. Non tam integrum est Jesuitis vesperinum tempus terere ludo chartarum, quam aultero Monacho, qui in lum istum, etiam cum famipis, ne brevi quidem commoratione Salmantinâ intermittere voluit. Qui longas matutini temporis horas aut docendo, aut scribendo, aut confelsiones audiendo perdurant, majus credo jus habent, ut vespere quærant liberio rem auram, etiam solius gratiâ valetadinis, quam qui mane totum in evolvendâ insumit historiâ Quixoti, vel Celestinae Matris.

164 Domos etiam Divinum, & palatia Optimatum Jesuitæ frequentant, ut eos Christo lucrifaciant, quorum vita frugi bonæ si fuerit, plurimis alijs solet esse frugifera. Consule D. Thomam cit. Opusc. cap. 19. ubi Jesuitarum super hac re vindicias invenies, multâ & selectâ eruditione sacrâ munitas. Sed manifestissimè calumniaris, dum Jesuitas austeris ferè numquam intrare pauperum casas. Numquid nosocomia, carceres, ergastula, quæ frequenter invisunt Jesuitæ, palatia sunt Principum? Quis eger è miserrimo tuguriolo Jesuitarum opem implorat pro salute animæ, qui non illam obtineat quàm oculissimè? An nescis, Collegiorum Societatis januas crebrò pulsari diu noctuque à quærentibus Jesuitas, qui pauperibus in extremo agone constitutis, & cum totâ æternitate luctantibus, auxilium & opem ferant salutarem? Audisti aliquando nuncios istos à Janitore interrogatos, num dives, num pauper sit moribundus? Nisi trahem de die portares in oculis, ac de nocte somnum, cerneres Jesuitas binos & binos identidem prodire intempestâ nocte, rigente hyeme, ventis & pluvijs oblucculantibus; & per calles nive, gelu, luto propemodum impervios, ad extremos tendere vicus Civitatum, humiles ibi casas, & tuguria subire sordida, squalida, incommoda, pauperrima, ut miseros adjuvent moribundos, quorum ad lectulos pernoctant, nec inane discedunt, donec aut causâ menendi cesset, aut alijs Socijs eodem in munere succedant; tumque ad Collegium redeunt magnâ pediculorum copiâ divites.

165 In nuperâ peste Messanensi, superioris anni mensibus Junio, & Julio intra muros Messanæ Urbis extincti jam erant Jesuitæ plusquam quinquaginta, lue correptis inserviendò, quos alij postmodum secuti sunt ejusdem pretiosa mortis participes: id quod vel ex Gazetis Hollandicis discere potuisses. Videntur nè tibi Principes fuisse, vel Optimates, qui miserâ in Urbe tot Jesuitarum sacrificio materiam & occasionem dederunt? Idem accidit, quoties oppidum aut Provinciam, ubi Jesuitæ commorantur, pestis invadit: semper enim ad inserviendum pauperibus contagio infectis ultrò se se offerunt, adedò prompti & alacres, ut nemo magis: unde innumeras habet Societas in hoc genere victimas Charitatis.

166 Præterea Jesuitas insimulas, quod *Templa luxuriosè nimis adornent.* Ego, religiosissimè zelator divini cultûs. Quas tibi gratias agent Hægonoci, cum te viderint in averfando Templo-
rum

Ut pauperibus adsint peste laborantibus

Irreligiosa animatio.
C. 17. 9. n. 12

or-

ornatu sibi coniventem! S. Ignatium Societatis Fundatorem laudat Ecclesia, quòd ab ipso incrementum acceperit Templorum nitore: sed tibi nitore istius incrementum nimis est luxus, & tuis sordescit oculis domus Dei accurata mundities. Non me fugit, superfluum in Monachorum Templis ornatum reprehendi nonnumquam à S. Bernardo, qui Juvenalis utitur versiculo, *Dicite Pontifices, in Sancto quid facit aurum?* Sed mellifluus Doctor illum dumtaxat Ecclesiarum improbat ornatum, quem avaritia, non pietas apparat, vel quo patrimonium pauperum exhauritur. Nam de cetero pretiosum in Ecclesijs, etiam Monachalibus, ornatum approbat, cum ait: *Denique quid hæc ad pauperes, ad Monachos, ad spirituales viros?* Nisi fortè & hic adversus memoratum Poetæ versiculum propheticus ille respondeatur: *Domine dilexi decorem domus tue, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Assentio. Patiamur & hæc fieri in Ecclesijs; quia etsi noxia sunt vanis, & avaris, non tamen simplicibus, & devotis. *Ceterum in Claustris &c.* Carpit deinde picturas in Claustris Monachorum representantes Centauros, Sirenas, & alia nihil ad pietatem conducentia, quæ procul absunt à Templis & Claustris Jesuitarum. Nec sanè absque injuriâ Bernardi credi potest improbatum ab ipso, quòd Ecclesia Catholica probat, ac laudat in Fundatoribus Templorum, videlicet quòd ea simul donarijs ornent pretiosissimis. Hoc laudi vertitur Constantino Magno, & reliquis postmodum imitatis munificentiam ejus; imò & munificentiam Salomonis, Hierosolymitanum Templum, quo nullum unquam ditius, aut sumptuosius, Divino inspiratu ædificantis, & ornantis. Profectò, si Jesuitica Tempia cum Cisterciensibus conferas, illa fortasse nitidiora sunt, sed ista ut plurimum ditiora. Siqua verò in illis invenitur pretiosa supellex, tota ferè vel à Fundatoribus, vel à Benefactoribus donata est pro divino cultu: nec donaria hujusmodi aut repudiare decet, aut in alios usus contra donantium voluntatem convertere licet.

167 Pergis, dicacissime Anser, Jesuitas incusare, quòd sine ædificatione ædificent Domos amplissimas, Turres superbas, prominentia Solaria (vulgò Galerias) speculationi magis, quàm recreationi deservientia. Lepidam accusationem in ore Monachi Cisterciensis & Hispani! Qui vitia hæc simul eodem contextu & suis abjudicat, & Jesuitis imputat. Quasi verò Monasteria Cistercij sint invisibilia, nec ab omnibus conspiciantur extructa multò magnificentius, ac sumptuosius, quam pleraque Jesuitarum Collegia. Tuos credo perculit invidos oculos Regalis fabrica Salmanticensis Collegij Societatis Jesu. Sed scito, vir bone, structuræ illius ichnographicum typum, jussu Catholici Regis Philippi III. descriptum cum Solarijs, Turribus, ac reliquis ædificij partibus, & à Rege ipso approbatum, Jesuitis ad exequendum fuisse traditum, sublatâ facultate quidquam immutandi, vel alium ad usum applicandi destinatos ad fabricam redditus, donec tota Collegij verè Regia moles perficiatur. An tibi videatur reprobanda voluntas, vel violanda jussio tanti Monarchæ? Siqua tibi esset æqui æstimandi ratio, Catholici Regis mu-

In Offic. S.
Ignat.

In Apolog. Ad
Guillel. Abbat.

S. Bernard.
quo sensu re-
prehendere vi-
deatur Tem-
plor. ornatu.

Psalm. 23.

Consid. n. 12
Deridicula
super ædifi-
cij incusatio.

De fabrica
Regalis Col-
legij Salmanti-
cæ.

De Masrensi
Cœnobio in
Lusitan.

nificentiam laudares, non Jesuitarum carperes obedientiam. Multo amplius, ac magnificentius est ædificium Templi, Cœnobijque Masrensis, quod pro Discalceatis Seraphici Ordinis extruxit, & adhuc extruit Lusitaniæ Rex Joannes V., qui jam supra quadragiescentena ducatorum millia, seu milliones quatuor, illo in Opere expendisse fertur. Nec tamen quisquam contra Religiosos austerissimi Ordinis obmurmurat; sed potius omnes liberalissimam Lusitanij Regis pietatem admirantur, & laudant.

De Monaster.
Cellanov.
In Offic. S.
Rudefind.

168 Sic etiam (ut aliquod tibi non prorsus extraneum suggeram exemplum) in S. Rudefindo collaudat Ecclesia, quod insignè Monachorum cœnobium condiderit, in quo ipse Monasticam sub S. Benedicti regulâ vitam annos aliquot egit, *Nomen*, inquit, *cœnobio Cella-nova, quod religione, & augustâ structurâ etiam hodie amplissimum est.* Quare non mordes, Anser Cynice, *augustam, & amplissimam* pro Monachis Eremo abditis *structuram?* Vel si hanc, quia Benedictina est, mordere non audes, caninum dentem infige Regali S. Laurentij Monasterio, vulgo *del Escorial*, quod pro Hieronymianis Monachis (quibus certè non minus chara est, quàm Cisterciensibus, modestia, & solitudo) à Catholico Philippo II. magnificentia incomparabili extructum dotatumque cernis in Hispaniâ. Mitto judicium temerarium, quo Jesuitica Solaria speculationi magis, quàm recreationi deservire blateras: id enim speculationem præbet malignitatem tuam; nec tamen recreationi tibi deseruit; invidia quippe non recreat, sed urit.

Consist. n.
81.

169 Denique scire te gloriaris ignominiosas Jesuitis *lites Sinenses, lites Mexicanas, lites Segovianas, & Vallisoletanas, chokolatum*, ut loqueris, *effluentes.* Sed quoad Sinenses attinet, certissimè scio te nihil scire, nisi quod à Jansenisticis *Tubarum* clangoribus didicisti: nam & SS. Benedicti XIII. feliciter regnantis Bullam vel non legisti, vel non intellexisti. Si aliqua tibi esset veritatis cura discendæ, facillimè à me per authentica testimonia doceris duo saltem, quæ silentiam omnibus à Sede Apostolicâ indictum super Sinensibus controversijs, exponere non vetat. *Primum* est quod ante Pontificia contra ritus Sinicos decreta, cum Jesuitis in eâ Regione senserunt plures & insignes aliorum Ordinum Missionarij. Neutris autem id probro verti potest, nisi à maledico & irrationali censore. Sentire namque aliquid à veritate alienum, etiam in materiâ Religionis, priusquam Ecclesia, vel Sedes Apostolica, quid tenendum sit omnibus, statuât, plurimis contigit Viris sapientibus, & eximie Catholicis, etiam è SS. Ecclesiæ Patribus ut patet in ijs, qui cum Millenarijs olim errarunt, vel cum iterantibus hæreticorum baptisma, necnon in quæstionibus de origine Animæ, de corporeitate Angelorum, & in alijs permultis, quarum Historia meminit Ecclesiastica. Quinetiam in apercam hæresim incidere citra contumaciam, interdum accidit Viris doctrinâ & sanctitate perillustribus, v. g. Joachimo Abbati, quem tu inter Cistercij lumina non immeritò computas: hic enim Arianam hæresim docuit in Libello contra Petrum Lombardum, qui Libellus à

Errant interdum sine decore Viri docti, & sancti.

Concilio Lateranensi sub Innocentio III. damnatus est, ut constat ex Cap. *Firmiter de summ. Trinit. Manifestum est* (inquit D. Thomas Opusc. 24.), quod Joachim in errorem Arrianorum incidit, licet non pertinaciter, quia ipse scripta sua Apostolica Sedis judicio subjecit.

170 Alterum est: quod post Bullam SS. Clementis XI. contra ritus Sineses, Jesuitæ Missionarij, Sinico in Regno laborantes, decretis Apostolicis in eâ contentis communiter paruerunt; & ut obedientiâ cæcâ obtemperarent, etiâmsi totius ruina Missionis, vel totius Christianismi Sinesis exterminatio timeretur, impulsî sunt à Præposito suo Generali, non solum monitis, sed præceptis etiâ strictissimis, ac severissimis. Quodsi nihilominus privatus aliquis Jesuita visus est inobediens (quod non facîle credendum tam longinqua, & totque terris ac maribus distita referentibus), vel si Jesuitæ Missionis illius, seu pauci, seu multi plus æquo fidentes permissionibus & interpretationibus Bullæ Clementinæ, à Legato Apostolico Mezzabarbâ inibi datis, ab ejusdem Bullæ genuino sensu discesserunt, non discessere soli, sed unâ cum plerisque alijs non Jesuitis in eâdem vineâ laborantibus. Idcirco SS. ipse Benedictus XIII. paulò post editam à se Bullam contra ritus Sineses, Eminentissimo Cardinali Ludovico de Belluga disertè declaravit, injurium fore Societati Jesu, qui peculiariter eam notari crederet Bullâ recenti, cum, etsi aliqui ex Jesuitis in Sinicâ Gente Missionarijs, Legati Mezzabarbæ permissionibus innitentes, in Clementinam peccassent Constitutionem, non peccaverint soli, sed ejusdem culpæ socios habuerint plures alios, nimirum Episcopos, Religiosos aliorum Ordinum (non dico Cistercienses, cum hos à Regionibus infidelium pergrandis Chorus abstrahat, Eremitas abscondat), & Presbyteros à Sacrà Congregatione de Fide propagandâ missos.

171 Hæc, inquam, à me testimonijs authenticis doceris; necnon, Episcopum illum Pekinensem, quem specialiter carpit Bulla Papæ regnantis, non esse, ut tu fortè purabis, Jesuitam, sed alterius Ordinis in Ecclesiâ illustrissimi Religiosum. Tibi quoque notam facerem retractationem Theodorici Pedrini, celeberrimi apud Sinas Missionarij, & antehac Jesuitarum accusatoris acerrimi, quam nuper ipsemet Romam ad Sacram Congregationem transmisit, conscientix suæ consulens, ut honorem Jesuitis insonantibus restituere. Sed ne veritatis prodigus sis apud nescientem quid est veritas, frue quamcumlibet supinâ tuâ de rebus Sinicis ignorantia. Hoc unum te moneo: quod etiâmsi fuerint Jesuitarum aliqui Sinico in Regno inobedientes, ac refractarij, non nisi per irrationalem petulantiam crimen istud Jesuitis in communi sumptis exprobrabis: quemadmodum reus es blasphemix, si propter Judææ scelera, vel Petri lapsum, Apostolis in communi diceres, Vos fures estis, Proditores estis, Perjuri estis; vel si propter damnatum errorem Joachimi Abbatis, totum Cistercium de Ariano errore traduceres: vel etiâ, si propter culpas à te commissas, indistinctè diceres Cisterciensibus, Vos maledici estis, Mendaces estis, Detractores estis, Societatis calumniatores estis, Decretis Pon-

Erravit gravissime, seu inculpate, Joachim. Abb.

Obedientia Jesuit. apud Sinas.

Inobedientie labes an Jesuitarum propria?

Quædam alia nescio Anseri indicantur.

Irrationalis in exprobrando petulantia.

94
tificis contra Libellos infames, & Sacræ Inquisitionis edictis inobedientes estis, ac refractarij, &c.

*Fatuus de
litibus Mexi-
canis garrivus.*

*D. Thomæ
doctrina con-
traria.*

*Non ex even-
tu pendet jus-
titia cause.*

*De litibus Se-
govianis gar-
ritus & que
fatuus.*

*De nugæ
mentionem Co-
colatis.*

172 De litibus Mexicanis quod est quod garrivus? An non licet Jesuitis privilegia Societati concessa per Summos Pontifices, nominatim super solutione Decimarum, in Judicio defendere? An non palsim Regulares quique pro bonis etiam temporalibus, aut conservandis, aut repetendis, litigant? Religiosis fas esse temporalia, quæ ad Communitatem spectant, in Judicio tueri, probat egregiè D. Thomas cit. Opusc. 19. cap. 15. *In illis*, inquit, *quæ ad detrimentum commune pertinent, etiam temporale, non est perfectionis, sed negligentia, vel pusillanimitatis, talia incommoda, dum possit resistere, sustinere.* Quodsi contrariæ partis defensores, etiam aliqui probi, ac sapientes, occasione litis indecorum aliquid Religiosis objecerint, quis prudens non id excusat velut à dolore dictatum, aut contentionis æstu exaggeratum? Recole n. 157. relata verba Petri Venerabilis ad Abbates Cistercienses, quæ scripta fuerunt occasione litigij super Decimis inter duo, Cisterciense, & Cluniacense, Monasteria. Nec verò Religiosis probrosum est, quòd aliquando in Tribunalibus causâ cadant. Hoc enim litigantibus accidit quibuscumque; nec probat, injustum, aut temerarium fuisse litigium. Non rarò locum habet probè intellectus Lucani versiculus, *Vitrix causa Dijs placuit, sed victa Catoni.* Nonnè Cistercienses post diuturnam cum Ecclesijs litem super immunitate à Decimis solvendis, causâ ceciderunt in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ? Vid. cap. *Nuper de Decimis.*

173 De litibus Segovianis, & Vallisoletanis (non nisi una & eadem lis fuit, quâ Segoviense Collegium Societatis, ultimam piæ faminae dispositionem ad pia Opera sustinendam suscepit) nihil est, quòd immurmures, nisi vanos cavillos, & argutiunculas inanisimas nescio cujus è foro rabulæ: quibus certè moti non sunt, qui tandem, post unam & alteram in Regiâ Vallisoletanâ Curiam sententias Collegio faventes, in Supremo Castellæ Senatu causam adversæ parti adjudicarunt, uno duntaxat calculo victicem. At hæc illa cocolatis affluxum præferbat. Cur taces quòd res est? Solent piorum Operum fundatores pecuniaria munera constituere, præstanda quotannis administratoribus & executoribus eorundem Operum. Cùm autem pia illa famina, quòd pro divino cultu & animarum salute fundabat Opus, Jesuitis Collegij Segoviensis administrandum & exequendum committeret, gratificationis causâ consignavit ipsis, non pecuniæ summam, ut fieri assolet, sed cocolatis libras aliquot sat paucas. Quid hic habes, quòd blateres, Anser nequam? Tibi fortè placeret magis pecuniaria gratificatio, quam cocolatice: sic enim suppeteret, & quòd exponeres chartularum ludo ad lucrandum; & quòd esset Mombertanico emendo commodius; & quòd impenderes in renovandis cum factione tuâ litibus jam penè sopitis.

174 Non opus est, nec libet amplius immorari cum jacturâ temporis in explodendis Anseris calumnijs: præsertim cùm præcla-

fas illas sagittarum pharetras, verius mendaciorum sentinas, *Theatrum Jesuiticum, Moralem Practicam, Tubas Magnam & Maximam,* & consimiles alias, jam in superioribus examinaverim, dum earum genesim, materiam, fortunam, ut se se occasio tulit, expolui. Sanè, cum suas Anser calumnias neque ullâ veritatis specie probet, neque probare possit, etiam si garriat usque ad extremi iudicii diem, non tam Societati Jesu, quam ipse sibi parit infamiam. Ut enim ait Glossa in Can. *Siquis 2. q. 3., Siquis aliquem accusaverit, & crimen illatum non poterit probare, infamis efficitur, & de cetero ad accusandum non admittitur: cum contra eum de calumniâ presumatur.*

Anser pro-
priae artifex
infamia.

§. XVII.

DE PSEUDO-PROPHETIIS AB ANSERE MEMORATIS
nonnihil.

175 **J**esuitis denuntias, benevole Anser, *Babylonis* sive, id est, Societatis Jesu, calum, & interitum, *Vvionis & S. Hildegardis* vaticinio prænuntiatum. Sed jam in Prodomo tuam vel inconsequentiam, vel inconsiderantiam notavi, qui cum posses è Libris Canonice plurimas de Babylone casuâ prophetias authenticas allegare, vaticinium occinis apocryphum, & commentitium. Addo nunc, dolore dignum esse, quòd te fugerit vaticinium aliud egregium, & vulgò celebratum. Narrabat mihi superioribus annis nobilis adolescens, se, cum Societatem ingredi cogitaret, idque significaret avunculo suo, Viro gravi, grandævo, litterato, prudenti; hanc ab eo protinus oburgationem accepisse: Juvenem incautum! Quis te fascinavit? Numquam nè audisti præclaram illam, & nemini non cognitam prophetiam, gravissimis hæcè conceptam verbis, *Religio una cornuta intra tria sæcula peribit?* Subrisit adolescens, & placidè respondit, quoniam tria circiter sæcula duratura erat cornuta Religio, sibi tempus adhuc superesse iustificans, ut viveret & moreretur Jesuita senex.

Dignum eru-
ditione Anse-
ris Vaticini-
um.

176 Hanc tu, bone Anser, prophetiam dum noveris, sine dubio invidabis puerulis, qui nati sunt heri vel nudius tertius: his namque sperandum est fore, ut cornuta Religionis, quæ tertium jam sæculum agit, ruinam aliquando videant. Proh! te infelicem, quem spes tanta deficit! Sed hanc infelicitatem Marti tuæ, quæ te tam citò peperit, imputa: si enim illa expectasset adhuc annos quinquaginta, vel sexaginta, lævum illum faustumque diem aspiceres, quo nigra Jesuitarum agmina *Irrita perpetua solvent formidine terras:* tunc aureo sæculo redeunte,

Infortunata
senectus.

Occidet & serpens, & fallax bestia veneni

Virgil.

Occidet: Aspidem vulgo nascitur Anonimum.

Interea temperis, quoniam te pigrum reddit podagrosa senectus, cura ut cautius & circumspicius amatos ambules calles, & plateas visites, ubi capri curant *bini & bini, omnia cornu ventilantes,* utpotè cornute Religionis cornuti fræus; quos pedibus æger haud facile fugere ac vitare valebis. Te monitum cogita Virgiliano versu: *Occursare capro, cornu feris ille, caveo.* Nec satis prudens es, dum Anonymum Milvum, quem Jesuitam credis, sæpe fratrem vo-

Observanda
cautio seni
podagroso.

cas, aut *fraterculum*. Quomodo enim frater tuus erit *vir spurius*, qui ex Patre Diabolo est, & Matre cornuta? Ad me quod attinet, author sim Jesuitis, ut acuminatos deponant pileos: sic enim cornuta esse desinet eorum Religio, & per objecti defectum prophetia frustrabitur, & evanescet.

Velon in Vaticin. parum felix.

Prophetia sub nom. S. Hildeg. apocrypha.

Primus munit Bzovius.

Bzov. Lib. de Rom. Pontif. cap. 24. fol. 246.

Vetus fabula est contra Ordinem Mendic.

177 Quod Vyionem Prophetam feceris, gratum fecisse te Benedictinis autumabere, Sed obstabit forsitan eruditissimus & disertissimus Feijds: qui Theatr. Critic. tom. 2. Discurs. 4. prophetias de Romanis Pontificibus, ab Vyione publicatas sub nomine S. Malachiae, contemnit, & rejicit efficaciter; quod & ante ipsum Papebrochius, & alij sapientes Critici praestiterunt. Decantata vero jam pridem in Libellis infamibus, & nunc in Libello tuo, prophetia, quae incipit, *Insurgent gentes, quae comedent peccata populi, tenentes Ordinem mendicum* &c.; falso, & calumniose tribuitur Sanctae Hildegardi. Nam, ut omittam solacismos, & ineptam puerilemque totius contextus verbositatem, à genuinis illius Sanctae vaticinijs alienam, nulla vaticinij istius mentio reperitur, nec in Bibliotheca Patrum, quae tom. 15. edit. Colon. revelationes exhibet S. Hildegardis; nec apud Gonzalum Darandum, qui prophetias ejusdem Sanctae cum revelationibus S. Birgittae studiose collegit; nec apud Abbatem Theodorum, seu Theodoricum, qui Vitam S. Virginis accuratè scripsit, nec apud Surium, Trithemium, Thaulerum, Nauclerum, qui de revelationibus ejus meminere. Quia neque Magdeburgenses Lutherani, cum Opera S. Hildegardis ex Trithemio recenseant Centur. 12. cap. 10., talem huic Sanctae prophetiam adscribunt. Primam vaticinij istius notitiam debemus Abrahamo Bzovio, Continuatori Annal. Baron., qui ad ann. 1415, „ *Circumferebantur*, inquit, *variae diversorum* „ *revelationes, prophetiae, visiones, & reliqua divinatorum spiritus* „ *argumenta: extat inter alia quaedam prophetia S. Hildegardis,* „ *cujus etiam nunc videtur exemplum adscriptum in pervecusto* „ *codice Bibliothecae Dominicae Dertusen, cui Libro titulus est* „ *Manipulus florum Thomae de Hibernia. Haec Bzovius: qui nec genuinum esse vaticinium affirmat, nec illud applicat alicui Ordini designato; nec nisi contra mentem applicare poterat Societati, cujus ipsemet alicubi Encomiastes est, dum fructiferos Jesuitarum labores in propagando totum per Orbem Evangelio, nominatim in Regno Sinensi, magnificè praedicat.*

178 Porro, nihil in praedicta pseudo-prophetia legitur, quod non fuerit olim objectum Ordinibus Mendicantibus; tum saeculo 13., ut constat ex Apologeticis SS. Thomae, & Bonaventurae; tum saeculo 15., quo tempore celebratum est Concilium Constantiense: tunc enim adversus Ordines Mendicantes saevissima tempestas commota fuit, non solum ab Uvicleffi sectarijs, sed à Catholicis etiam permultis, qui plurimas, easque gravissimas in eos Ordines accusationes ad Concilium ipsum detulerant; ut videre licet in Libro, quem Gerson inscripsit, *Propositio in Concilio Constantiensi ex parte Regis Franciae*, & in ejusdem Gersonis Opusculo de

Naptijs Ecclesiæ, necnon in Opusculo inscripto *Disceptatio Mendacitatis*, quod etiam Gersoni tribuitur. Cum igitur vitia tunc temporis (quo nondum Societas nata erat) objecta Religiosis, eadem ipsissima sint, quæ in suppositâ S. Hildegardi prophetiâ leguntur; merito prophetia ista utrovius sæculo conficta creditur sub nomine venerando, quo suis pondus accusationibus adderent Olores & impugnatores Ordinum Mendicantium. Codex autem, cui adscriptam invenit Bzovius, quo tempore ipse scribebat, pervetustus videri potuit, etiâmsi circa initium sæculi 15., paulò ante Constantiense Concilium, fuerit exaratus. Quamquàm novum non est per affectatam vetustatem membranz venditari mendacia recentissima; cuius deli famosum reliquit exemplum Schismaticus Photius, dum confictis à se prophetijs Basilium Imperatorem, cognomento *Macedonem*, magno cum Ecclesiæ nocumento decepit.

179 Enimverò mentitam, quâ de loquimur, prophetiam nullus Author Catholicus, proprio nomine scribens, conatus est aptare Societati Jesu. Primus id tentavit Joannes Vvolsius, Scriptor Hæreticus. Idem postea tentarunt larvati artifices *Theatri Jesuitici*: qui, ut auctoritatem vacinino & applicationi conciliarent, novâ imposturâ *Commentarium* fixerunt *super prophetiam S. Hildegardis*, quasi scriptum ab Illmo. Hieronymo Baptista de Lanuza ex Ordine Prædicatorum Episcopo Balbastrensi, & Albaricensi; cuius *Commentarij*, totam prophetiam Jesuitis applicantis, authographum extare in Cæsaraugustano Dominicanorum Conventu, audacter affirmarunt. Sed hæc impostura theatrialis jundudum convicta est manifestè; tum ex testimonio R. P. Prioris Cæsaraugustani Conventûs Fr. Martini Lopez, qui nullum in eo Conventu inveniri prætensî *Commentarij* authographum, nec apographum, nec vestigium aliquod, testificatus est; tum ex Biographo ejusdem Illmî Præsulis R. P. Hieronymo Fusser Dominicano, qui mendacij istius meminuit, & illud multifariam confutat Lib. 3. Vit. cap. 13.; tum ex ipso Illmo *de Lanuza*, qui Religionem Societatis egregiè laudat genuino in Opere, nempe Homil. 40. num. 13. tom. 4. De his, & alijs huc spectantibus vid. Huyleubr. in *Vindic. prior.* cap. 5., & in *poster.* cap. 7..

180 Hoc ipsum mendacium, eandemque nefariam ad Jesuitas applicationem pseudo-prophetiæ ex *Theatro* sumperunt, & adoptarunt Janfenistæ Galli, tum in *Morali Practicâ*, tum in *Tubis*; sed nihil affectuci sunt aliud, nisi ut repetita fulmina, quibus *Theatrum* sequis arserat, in suos converterent Libellos. Profectò, contextus ipse prophetiæ prætensæ tam est à Jesuitarum moribus alienus, tam abhorrens, tam absonus, ut inops mentis, vecors, & insanus sit, qui Societati Jesu convenire illum aliquomodò posse contendat. EÛpropter fabricatores *Theatri*, ne violenta nimis applicatio videretur, prophetiæ textum à Bzovio relatum, quibusdam additionibus proprio è cerebro erutis locupletarunt; quas inter nomen est *Societatis* expressum. Siquidem *Theatrum*, erudite Anser, habes ad manum, textum ejus compara cum textu Bzovij; & additiones illic deteges fraudulentas.

Quo tempore
conficta?

Vetustas codicis.

Quib. Aucto-
rib. ad Societ.
applicetur
pseudo-pro-
phetia?

Impostura
Theatri plane
convicta.

Applicationis
insania.

181 Verùm, cùm historiam hanc decantatæ pseudo-prophe-
tix legeris, siquid in te remanet pudoris, erubescere quòd pretium
tunicæ dare volueris pro talibus armis in Societatem stringendis.
Re verà Religiosus nemo tales emerit gladios, nisi qui pretiosum
in conspectu Domini suæ Religionis Habitum vendiderit. De ce-
tero, nec tua, nec Vvionis vaticinia teritant Societatem. Vobis
enim, seu proprio, seu communis Patris filix nomine vaticinia
dantibus, apprimè congruit argutum Distichum, pro Medico Gal-
lo prophetias venditante compositum, de quo etiam Feijðus me-
minit ubi suprà. Cognomen Medico *Nostradamus*: hinc ansa lu-
dendi:

*Irridentur
vaticinia sic-
titia.*

Nostra-damus, cum falsa damus; nam fallere nostrum est:

Et cùm falsa damus, nil nisi nostra damus.

Novit Societas, nihil esse frequentius apud hujus temporis Hære-
ticos, quàm prophetias de ruinâ Ecclesiæ Romanæ jamjam immi-
nente, vel eventurâ propediem, jactitare, atque spargere in Vul-
gus, & quidem sub nomine *Babylonis*. Idcirco gaudet potius, quàm
dolet, sibi sortem obtingere cum Ecclesiâ Christi communem: spe-
ratque non temerè, suam quoque perennitatem promissionibus
Ecclesiæ factis firmatum iri, videlicet, *Portæ Inferi non prave-
lunt adversus eam; & Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad
consummationem sæculi.*

*Id accidit So-
cietati, quod
Ecclesiæ.*

Matb. 16.

Matb. 28.

182 Multò congruentius, quàm apocryphum S. Hildegardis
vaticinium, Jesuitis aptari poterit Oraculum Apostoli, quo So-
cietatis firmitas usque ad Mundi finem prænuntiata videtur. *In om-
nibus* (inquit Paulus) *divites facti estis in illo* (Christo Jesu) *in omni
verbo, & in omni scientiâ, .. ita ut nihil vobis desit in ullâ gratiâ,
expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui & confir-
mabit vos usque in finem sine crimine in die adventûs Domini nostri
Jesu Christi. Fidelis Deus: per quem vocati estis in Societatem Filij ejus
Jesu Christi Domini nostri.* Hoc Pauli Oraculum (quod non vide-
tur ad litteram convenire Corinthijs, utpotè non usque in finem
confirmatis in die adventûs Domini) speciatim ad Jesuitas dirigi, eos-
que permansuros usque ad consummationem sæculi prænuntiare,
non sono tantùm, sed sensu ipso verborum; haud parùm suade-
tur illustri S. Theresiæ de Jesu prophetiâ, quæ Dominicanos pa-
riter comprehendit, & habetur in Actis Canonizationis ejusdem
Seraphicæ Matris, titulo *de Gratiâ Prophetiæ*, per hæc verba: *Præ-
cognovit etiam controversas magnas futuras inter Religiones Beati Do-
minici, & Societatis Jesu; viditque in ultimis Ecclesiæ temporibus præ-
dictas Religiones maximo charitatis vinculo ligatas contra Antichristum
pugnaturas.* Quàm sint authentica & fidedigna Canonizationis Acta,
unde sumpta est prophetia ista, inconcussis testimonijs ostendit cla-
rissimus Carmelitani Ordinis Magister, Salmanticensis Doctor, Rev.
admodum P. Fr. Joannes Ladron de Guevara, cujus hac de re lit-
teras exhibet Martinus Ortiz tomo 2. Caduc. Theolog. part. 4.
punct. 15. num. 270.

*S. Theresiæ
revelatio, &
prophetia per-
illustris.*

183 Huic Seraphicæ Matris prophetiæ consonat, quod va-
ti-

vicinantis instar prædicit Lucas Fernandez de Ayala, ex Ordine S. Dominici Scriptor nobilis, in Historiâ de vitâ & morte Antichristi Discurs. 12., dum ait: *Erunt homines virtuti dediti, & vitæ Apostolicæ, in persecutione Antichristi: & præcipuè tales erunt duo Ordines S. Dominici & Societatis Jesu, qui Henoc assistent & Elia &c..* Id quod ibi multis rationibus, conjecturis, & nonnullis etiam revelationibus comprobatur. Nec omittendum, quod memorat V. P. Nicolaus Lancicius tom. 2. Opusc. 17. num. 168. de revelatione factâ nobilissimæ virgini Neapolitanæ Joannæ ab Alexandro, sanctitatis opinione percelebris; cui Christus Dominus apparuit, & post alia Societatis elogia dignatus est dicere: *Scias quodque filia, me vel le hanc Societatem meam sic appellari, quamdiù Mundus durabit: & volo meæ ut imitetur vestigia, & ut potissimum cæca obedientia in eâ vigeat.* An non tibi videtur, frivole Anser, spurium Vvionis, & S. Hillegardis vaticinium præ revelationibus & prædictionibus istis contemptibile?

184 Sed ut domesticum tibi testimonium suggeram, pseudo-prophetiæ S. Hillegardis oppono sinceriora Joachimi Abbatis vaticinia, Societatem Jesu tam clarè ac luculentè designantia, ut aliò trahi nullatenus posse videantur. Etenim prænuntiat Joachimus in cap. 3. Apocal. vers. 9. futurum in postremo Ecclesiæ tempore novum Ordinem, quem designabit Jesus: & hic Ordo, inquit, multiplicandus & dilatandus in tertio illo statu sæculi, qui in tempore novissimo futurus est. De novo hoc Ordine multa & præclara prænuntiat varijs in locis suorum Operum: prænuntiat initium ejus in Galliâ tunc futurum, cum torrentes Hæreticorum terram inundarent: prænuntiat Religionem fore Clericorum, peculiarem obedientiam Summo Pontifici profitentium: prænuntiat in eo vitam contemplativam cum activâ sociatam, doctrinam sacræ Scripturæ, Missionum frequentiam, ministeria spiritualia sine stipendio, docendi munus, impugnationem hæresum, prædicationem Evangelij per totum Orbem: facultatem etiam indicat discolos expellendi: ac demùm persecutiones prædicit huic Ordini suscitandas, & victoriam earum præsertim in fine Mundi, & tempore Antichristi. Hos & alios Societatis Jesu characteres, à Joachimo prædictos in Scriptis nullâ censurâ notatis, vide Anser, si lubet, apud Gomez elog. Societ. part. 1. class. 7. num. 1. per totum, ubi S. Abbatis verba fusè descripta, designatis Operum locis, invenies: atque ibidem discere poteris, quot, & quàm graves tam extra, quàm intra Societatem Scriptores vaticinia ista Joachimi de Jesuitis intellexerint.

185 Nec te prætereat, iisdem ipsis vaticinijs, Jesuitarum ortum tria circiter cum dimidio sæcula præcedentibus, meliùs multò probari verum Joachimi spiritum prophetiæ, quàm vaticinio illo pervulgato, quo, ut tu ipse loqueris, ante plurimos annos ex textu Apocalypsis eduxit, & prædixit adventum in Mundum sanctissimorum Dominici & Francisci, illustrium Religionum, ac verè profuarum Patriarcharum, quos & depictos reliquit Venetijs &c. Quibus in

Similis prædictio Scriptoris Dominici cano.

Revelatio alia prophetica.

Joachimi Abbatis. prophetiæ de Societate Jesu.

Consist. n. 8.

Anfer in Chronologia rudis.

verbis animadversione dignum est illud, ante plurimos annos; cum Joachimus vixerit ad annum usque 1201., quo tempore S. Dominicus annum agebat ætatis 32.; jamque satis adulescens erat S. Franciscus, qui sexto post anno Religionem suam fundavit. Sed quàm sis Chronologiæ peritus, erudite Anfer, & hoc ex capite quàm idoneus ad munus Historiographi Cisterciensis Ordinis, jam alibi à me observatum manet.

Papebroch. tom. 7. M. s. i. ad diem 29. vindicat Joachim. Abbat.

186 Priusquàm à Joachimo discedam, scias velim (ut aliquid gratitudinis erga Continuatores Bollandi concipere digneris), à nemine copiosius, eruditius, & efficacius, quàm à Papebrochio, vindicatum & commendatum fuisse famosum hunc, nec satis probatè apud omnes famæ, filium Cistercij, non solum quoad orthodoxiam (hæc ipsi à Summ. Pontificibus asserta est; quàmvis juvenis erraverit in *Libello contra Petr. Lombard.*, quippe non contumaciter erravit), ac nominatim quoad sanam de Trinitate doctrinam in Libro Psalterij, & in alijs ejus Scriptis nullo carbone notatis: sed etiam quoad prophetici spiritus gratiam, sanctitatem, miracula, & cultum in Calabria publicum, à nullo Pontifice improbatum, vi cuius inter *Sanctos*, aut *Beatos* connumeratur, haud immeritò. Prophetico spiritu caruisse Joachimum censuit D. Thomas in 4. dist. 43. q. 1. art. 3. quæstionc. 3.: *Pseudo-Prophetam* appellavit Baronius, *Impostorem* Spondanus; quibus consentiunt Scriptores alij magni nominis. His omnibus præivere Cistercienses Calabria: nam, ut scribit eruditus Author, *Professus* Cisterciense Institutum Joachimus in Calabria Monasterio, cui nomen de Cuturatio, reformationem sui Ordinis molitus, Florense Monasterium, in quod eam induceret, factà à Curatianis secessione, fabricavit. Hinc eorum, à quibus secesserat lacrymæ crocodilinæ, & odia, deque ejus vaticinijs sanæ, & in Scripta flagrans zelus amarus. Id ipsum memorat Gregorius de Lauro, seu de Laude, Cisterciensis, in Apolog. pro Joachim. Abbat. Verùm à cunctis hujusmodi censuris multò accuratius, quàm alius quisquam, Joachimum vindicat Papebrochius: qui simul negat ab illo esse pseudo-prophetias, ipsi vulgò attributis, nec in genuinis ejus libris contentas, ob quas apud multos fædè traducitur.

Rainaud. tom. 12. in Hoptobec. cõtra ist. calumnia.

187 Ad extremum, quoniam revelationibus pugnans, Anfer maledice, totque machinis ab Acheronte mutuatis, Jesuitas aggrederis gloriabundus, revelationem tibi proponam, quæ te fortalset respicere faciet terrore percussam: revelationem, inquam, factam V. Virginii Vallisoleranæ Marinæ de Escobar, cujus Viæ & Revelationum Libri, postquam in Causâ Beatificationis ejus, jamdudum instructâ, consuetam examen Romæ subierunt, ab omni notâ prorsus inimicis inoffenso decurruntur pede. Verba ipsa hispanica V. Virginis exoribam, quæ habentur Part. 2. Vit. Lib. 1. cap. 34. *Este misno año* (inquit) à 29. de Diciembre de 626., haç, cionome merced un Santo Patriarcha de cierta Religion, y dindole yo quexas de que algunos hijos suyos movian una persecucion contra la Compania de Jesus; vi, que el Santo se com-

Revelatio Anferi firmidanda.

„ pufo , y se le encendió el rostro , comō si se revistiera de un
 „ afecto colerico , aunque con modestissima gravedad ; y me dixo :
No me hables en esta materia ; porque si yo aora fuera capaz de pena ,
me la diera muy grande : y dile à estos , dilelo , que lo digo Yo , que no
me llamen Padre ; porque no son mis hijos ; y que merecen , que como
Moyfes quebrò las tablas de la Ley , porque no las merecia aquel pueblo
rebelde , así merecen ellos que Dios les prive de su Regla . Aliam insu-
 per visionem , seu revelationem inferius ibidem refert V. Virgo
 verbis sequentibus. *Algunos dias despues , era ya el año de 17. , ha-*
 „ viendose esforzado en una Ciudad cerca la perfeccion , vi à
 „ Christo Señor nuestro sentado en un Trono con el rostro muy
 „ airado ; y teniendo junto à si algunos Padres de la Religion de
 „ la Compañia , sacò à juicio algunos Religiosos , y Segiares ; y
 „ volviendose á ellos , les dixo : *Hijos de víboras (y les llamó otros*
 „ nombres muy malos , que callo) *por qué pecado quereis apedrear*
estos hombres ? Señalò à los de la Compañia : el que de vosotros es-
tà sin pecado , tome las piedras , y tirelas : „ y dandoles luz para que
 „ conociesen sus proprias conciencias , quedaron tan avergonza-
 „ dos , que corridos se fueron uno por aqui , y otro por alli .

Alia item re-
velatio fat ei-
dem accom-
moda .

Adhortatio
ad Anserem .

Matth. 5 .

S. August. in
Psal. 132 .

S. Lopez.
Præfat. Apo-
loz. adversus
calumnias
Ghald.

188 Revelationes illas attentè legas & consideres precor,
 Anser improvide : te signanter ipsidem respici , & conveniri puta : S.
 Patriarcham , cujus nomen retinet V. Virgo , S. Bernardum esse con-
 sidera ; nam ejus increpationem haud abimilem ad Monachos tuos
 Cluniacensis Ordinis detractores jam supra retuli n. 161. , & 162. :
 cogita ergo S. Bernardum nec te filium velle , nec se tuum appel-
 lari Parentem ; sed potius ab ipso declarari te dignum , qui Regulâ
 Cisterciensi priveris . Noli tamen spem amittere salutis . Inveterata
 sentio vitia , fateor , haudfacile corriguntur . Sed quamdium vivitur
 in corpore mortali , locus est poenitentia . Militarem pro inimicis
 assidue precantium orationibus adjavabere . Habent illi præ oculis
 doctrinam Domini , *Orate pro persequentibus , & calumniantibus vos .*
 Habent & Regulam S. Ignatii , hoc ipsum diserte præscribentis .
 Habent & exemplum S. Augustini , Monachos diligentis vel indig-
 nos : *Veruntamen charissimi sunt & qui Monachi facti sunt ; & nos no-*
vinus tales : sed non perit fraternitas pia propter eos , qui profitentur , quod
non sunt . Tam sunt enim Monachi falsi , quam Clerici falsi , & fi-
deles falsi . Habent insuper documentum S. Boaventurae , qui de ca-
 lumniatore sui Ordinis ita loquitur : *Sane , cum hujusmodi fabrica-*
tor erroris , cum adhuc sit viator , ut credimus , corrigi possit per Dei
clementiam , sollicitè pro eo interpellandus est Christus , ut suæ vocis virtu-
te , ac sapientia lumine , ... & protuberantem deterreat , & superbientem
humiliet , & errantem requirat , corrigat , & reducat .

189 Dum hæc apud te recogitas , bone Anser , ego Libel-
 lorum tuorum maledicentiæ sordidæ , inruditæ , mendaciæ , sceleratæ
 tæ , nefariæ , propudiosæ , crism absolvo , seorsum discussurus post-
 modum & tuas , & sodalis tui sat frivolas pro notatis Guillelmi
 textibus allegationes . Crism verò luculque perductam , sum-
 matim in unum redigo Distichum , quod , licet pro Libro alio
 la-

satis pravo compositum, *Consistui* tuo videtur aptissimum. Sen-
sum ejus ænigmaticum si forte non intelligis, OEdipum quare te sa-
pientiozem.

Er habet Ausonium Liber hic, habet Erque Pelasgum,

Er habet Hebraum, prætereaque nihil.

§. XVIII.

ACCESSIO NOVI ALITIS AD AUCUPIUM.

190. **P**OST hæc scripta, primùm mihi videre contigit aliùs Cif-
terciensis, à Palumbo, & Anserè distincti, & in Ur-

*Augefcit Au-
cupium novo
Aite.*

sariæ Monasterio Gallegiæ, ut testatur ipse, commorantis, Libellos
duos: quorum prior inscribitur *Appellatio Index*; posterior, *Melio-
ratio Appellationis Indicis*. Conatus Libelli prioris, vindicare Guil-
lelmi textus à Pinio notatos: nifus posterioris, respondere *Litte-
ris Milvi Apologeticis*. Et *Appellatio* quidem scripta est ante priores
Palumbi & Anseris Libellos; cùm ejus mentio aliqua non sine im-
probatione, & contemptu fiat in *Judicio*, & *Anticrisi*. *Melioratio* ve-
rò post *Judicium*, *Anticrisim*, & *Apologiam* Milvi, lucubrata est, sed
Consistui, & *Columbà* nondùm editis. Bonus hic Monachus Ursariæ,
quàmvis eruditione, modestiâ, & in rebus quibusdam rectitudine
intelligendi ac judicandi, planè antecellat Anserem & Palumbum;
tamen utroque infelicior, oleum & operam perdidit: nullam quip-
pe laboris gratiam apud suos expertus, elucubratos à se Libellos
nihil pensos vidit; imò coactus est tenebris damnare, vel certè
publicæ luci subducere. Unde vix aliter ijs usus esse videtur, nisi
ut Antuerpienses Notas importunus apud Judices accusaret: quæ
causa fuit, cur tardiùs ad me pervenerit eorum notitia.

*Ales parùm
felix.*

191. Sed quoniam locum in Aucupio habere meretur Ap-
pellator iste, quænam dicetur species Alitis? Suum ipse nomen in
subscriptione signat litterâ initiali P: hinc non incongruè *Picus* ap-
pellabitur. Tum quia satis est pugnax; & Ovidio teste, *Martia Pi-
cus avis*. Tum quia latinatam affectat vetustam, quasi memor sa-
bulæ, quæ veterem Latinorum Regem Picum in avem sui nomi-
nis transformavit. Tum quia *Picus* nubilum tempus advocat, & vix
nisi in nubilo vocem emittit: hic autem Appellator Ales miram
habet obnubilandi gratiam: nam stylus ejus multis in locis, partim
collocatione perversâ, partim vitiosâ interpunctione, partim pra-
vâ syntaxi, partim verbis græcanicis, & exoticis, adeò tenebrescit,
ut ad sensum utcumque divinandum OEdipo sit opus. Cùm pri-
mus ipse fuerit, qui prælium inivit adversùs Notas Antuerpienses,
haud immeritò censebitur Heraclitus alter, juxta descriptionem
Lucretij.

Heraclitus inquit quorum dux prælia primus,

Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,

Quam graveis inter Græcos, qui vera requirunt.

*Stylo tenebri-
cosus.*

Fateor, non paucas in *Appellatione* & *melioratione* periodos lego, quas
non intelligo. Verùm, si de hoc ipse, quasi mysteria loquens, for-
tè gloriectur, verba reponam, quæ Rufino reposuit olim D. Hie-
ronymus: *Est interdùm non intelligam quid loquaris, & Heraclitum ut*
lege-

legere putem, tamen non doleo, nec me penitet tarditatis; id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo.

192 Nonnulla tamen credo me intelligere. In his quædam sunt, quæ contra insultus Anseris & Palumbi proderunt, cum ad vindicandas Pinij Notas ventum erit. Quædam alia, & pieraque meram præferunt cavillationem contra Pinij censuram ad textum primum Guillelmi. Hujusmodi est, quod Picus in casu sçminæ nudæ, lectum ingressæ, fingit, Pinium excludere à Bernardo actus omnes internos tentationi contrarios. Quis non videat cavillum prorsus frivolum? Nullum de actibus internis verbulum habet Nota Piniana: sed tota loquitur apertissimè de actibus, quos Guillelmus excludit per illa verba, *cum omni pace & silentio*. Hujusmodi est etiam, quod à Pico inducitur Pinus quasi repugnantia & absurda dicens, dum post difficultates super eodem textu propositas, ait, factum illud, si verè ita accidit, ut narratur, magis esse mirandum, quàm imitandum: unde arguit Picus, idem factum, quod prius damnatur ut fallum, erroneum, & horrendum, postea permitti quasi verum, honestum, aut innoxium, & Ecclesiæ proponi tanquàm mirabile. Quis hic non rideat Picum ineptissimè vitiligantem? Factum à Guillelmo narratum nullâ censurâ perstrinxit Pinus. Tantùm dixit, videri sibi creditu difficile, quia non facillè conciliari poterit cum eximiâ, & notissimâ castitate Bernardi. Addidit nihilominus modestè satis, quod, si fortè accidit re verâ, vel, quod eodem redit, si modo aliquo sibi adhuc ignoto fieri potest, ut inconcussa Bernardi castitas (de quâ non dubitat) non illud convincat falsitatis, saltèm hoc unum lectores incauti admoneri debent, magis mirandum esse, quàm imitandum. Quid hic vides, bone Pice, nisi Censoris modestissimam ignorantix (sux confessionem, & exquisitam erga Bernardum, & Guillelmum Biographum reverentiam? Mitto ejusdem furfuris plura alia, quibus abundat *Appellatio*.

193 *Melioratio* verò contra Pinianas Notas iterùm pugnat. In eâ Picus benè meretur de Anseris & Palumbo, dum quaidam *Judicij*, & *Anticrisis* opiniones, quas ipse non probat, excusare conatur. Sed ab utroque despectum pro gratiâ reportat, ac reprehensionem. Cogitatum Milvi de narrationibus Guillelmi Hæreticorum fraude vitiatissimè impugnat §. 1., & iterùm §. 3. quâ in re lubens Pico assentior, §. 2. Pinium carpit quasi nimis criticum ultra munus Historici, quia scilicet alicubi monuit, cavendum esse, ne confundatur libertas à necessitate cum libertate à coactione. Sed nimia Pici cavillatio hæc est. Quis enim non laudet in quovis Scriptore Catholico, quod occasione datâ saltèm obiter indicet salubre monitum contra Jansenismi errorem hoc tempore grassantem? præsertim cum Jansenius, ut fateretur Picus, S. Bernardum, licèt inavitam, trahere conetur in patrocinium sui erroris.

194 §. 4. falsissimè, & confusissimè differit Picus de cultu S. Humbelur; quem tamen *publicum* asserere non audet, sed timidè vocat *medium inter publicum & privatum*; inavitatque Milvum, ut

Pici cavillatio vana.

Alia item frivola cavillatio.

Pici Melioratio quid continet?

Ineptus Pici scrupulus.

De cultu S. *Quantum* Scientiæ Mediæ professor est, S. *Hambelinæ* cultum dicitur saltem *medium inter iustum & permiffum, non satis accedentem ad publicum solemnem, sed longiffimè distantem à privato.* Et continuo subiungit: *Mibi clariùs diceretur Adoratio media permiffa privata publica, quàm dicitur vaga necessitas efficaciam gratiam in collectione auxiliorum sufficientium.* Hinc licebit cuique specimen capere claritatis, in Libello isto regnantis.

*Alia partem
auspicata co-
nominata.*

195 §. 5. iugillat nomen Hagiographorum Bollandi Continuatoribus à Milvo præstitum. Sed super hac re idem, quod Palumbo supra respondi, sibi dictum existimet. §. 6. & 7. fufiffimè pariter & confufiffimè comprobare nititur lacteam irrotationem Bernardi virgineo ab ubere Deiparæ. Sed non tam Pinium oppugnat, quàm Mabillonium, charum Cisterciensibus nomen. Ucinàm clariùs & efficacius comprobaretur decus hocce Bernardi! Nam quò gloriosius est Mellifluo Doctori, eò mihi gratius foret extra omnem dubitationis aleam constitutum.

*Pici Notula
contra Pini
Critice.*
Notula 1.

196 Denique in *Appendiculâ* desiderat Picus in Censore Pini criticam exactiorem: atque in eo notat nonnullos Criticè defecutus, velut paucos è multis. Notat 1. defectum in Chronologiâ, quò Pinius affirmat natum esse Bernardum anno D. 1091. Nam, cum constet Bernardam è vitâ migrasse anno 1153. die 20. Augusti, *annis circiter 63. expletis*, ut ait Gaufridus Biographus; cumque adverbium *circiter* unum duataxat mensum defuisse denotet: arithmetico computu evincitur natum esse Bernardum anno D. 1090. die 20. Septembris. Verùm nexvs iste chronologicus non ad Pinium pertinet solum, sed ad Manricum, ad Mabillonium, ad omnes: nam *omnes* omninò usque ad Pinium nativitatem Bernardi consignarunt anno 1091., ut Picus ipse noscit, & agnoscit. Quid facias Alitibus istis? Anser vehementer invehitur in Pinium, quia dubium movit, ubi nemo antea dubitavit. Picus verò inscitie, vel inconsiderantiæ Pinium insinulat, quia rem à nemine antea dubitatam non emendavit, aut rejecit ut falsam. At enimverò quid proficis arithmetico tuo computu, bone Pice? Nonne bene cum Gaufridi computu coheret, quoddam ortus Bernardi contigerit mense Januario anni 1091.? Unde probas, particulâ *circiter* non nisi unius defectum mensis denotari? Cur tractus annorum 63. dici non poterit *circiter* expletus, tametsi desint menses quatuor aut quinque? Hæc certè quantitas temporis, ad illam comparata, satis-modica est, ut loquendi formulam per *circiter*, aut *plus minusvè*, communi sensu veram esse pariat.

Refellitur.

Notula 2.

Refellitur.

197 Notat 2. Picus, & conqueritur, quoddam Pinius *de Nobilitate Regiæ* Bernardi dubiter cum Manrico, nec sequatur potius Jesuitam Chiffletium Manrico recentiorum: item, quoddam ex divitijs Teccelini, Patris S. Bernardi, non colligat Sanctum Atavis editum Regibus. Sed notatio, & querela ista partim frivola est, partim falsa. Frivola: quia innumeri sunt divites, qui Reges nullos inter Atavos numerant. Falsa: quia quidquid momenti pro Regiâ cognitione producit Chiffletius in *Diatribâ de Genere illustri S. Bernardi*,

Pinus quodque commemorat; ijs tantum omiſſis, quæ prætermiſit pariter Mabillonius, eo quod nihil, aut parum probabilitatis habere videantur.

198 Notat 3., narrationem Vincentij Bellovacensis de modo, quo Bernardus Patrem suum traxit ad Monachatum, immeritò à Pinio deferri, ut narratiunculam sequatur Stephani de Borbone. Sed gratis hoc imponitur Pinio; qui neutram re ipsà sequitur narrationem; sed tantum asserit, probaliorem, seu magis coherentem, ac verisimilem esse modum, quo Stephanus, quam quo Vincentius, rem illam contigisse memorat.

Notula 54^B

Refellitur.

199 Notat 4., ac reprehendit Pinium, quia non sequitur omnes ad unum Scriptores, Templariorum Regulam à S. Bernardo dictatam affirmantes, & amplectitur dubium Mabillonij, quod à recentiore quodam Chronographo Cisterciensi Hispano solutum est. Sed in primis, si Mabillonius dubitat, quomodo omnes ad unum Scriptores affirmant? An Mabillonius ne unus quidem inter Scriptores dici meretur? An non potius unus pro mille inter Eruditos, cum in materià quâlibet, tum in rebus Bernardi gloriam attinentibus? Deinde, non dubitat Mabillonius, sed absolute abjudicat S. Bernardo Regulam Templariorum; & quidem rationum momentis adeò gravibus, ut nec à recenti Hispano Chronographo factis eleventur, nec facile queant ab eruditioribus alijs elevari. Postremò falsum est, quod Pinus opinionem præferat Mabillonij; nam licet ejus fundamenta referat, rem tamen in medio relinquit: Et ecce ab uno eodemque Monacho reprehensus Pinus, nunc quia non sequitur omnes ad unum Scriptores, & paulò ante quia secutus est Scriptores omnes ad unum, in designando scilicet S. Bernardi anno natali. Nonne hoc est insanabile criminandi cacoethes? Sed bene, quod Pinus unà cum Mabillonio vapulet, & quod à terrificis quibusdam Monachis eadem ipsi, quæ Benedictino Bernardi studiosissimo, pro laboriosâ, & eruditâ illustratione gestorum S. Doctoris, gratia rependatur.

Notula 42

Refellitur.

200 Notat 5., quantum ad res Guilielmi Aquitania Ducis à S. Bernardo conversi, Pinium adhærere debuisse Theobaldo, Bouchero, Manrico, & alijs eadem referentibus. Sed, cum ea, quæ in Henschenij Commentarijs à Pinio citatis allegantur, nec solvat Picus, nec solvere unquam possit; hæc etiam Injunctio ejus incassum abit. Notat 6., Pinium omninò tacere munus Custodis, vel Administratoris Regni Galliarum, Bernardo delatum in Conventu Stampensi. Sed vera hæc est hallucinatio Pici, ea, quæ ad Sugerium pertinent, Bernardo tribuentis. Notat 7., Pinium vix desumere quidquam ex Epistolis S. Bernardi ad historiam ejus illustrandam. Sed quam immeritò id notet Picus, legenti cuilibet Commentarium prævium ad Acta S. Bernardi manifestum erit. Notat 8., de Roberto, & Henrico Regis Ludovici VII. fratribus necio quid, adeò verbis implexum, ut sibi metipsum potius, quam Pinio, contradicere videatur.

Notula 53

Refell.

Notul. 64

Refell.

Notul. 72

Refell.

Notul. 82
nihil signific.

201 Notat 9., Pinium non bonum esse Criticum in gram-

Notul. 92

ma-

Refelle

maticis: quia nimirum alicubi substituit in textu Manrici *aucupabantur* pro *auspicabantur*, & in textu Herberti *reluctatum esse* pro *reluctasse*. Sed in utroque plane vitiligat Picus. Nam verbum *auspicabantur*, nullum habet eo loci congruum significatum, ut patebit legenti, ac latine noscenti. Verbum autem *reluctasse*, jam dudum exulat à Latio. Nec obstat, quod Plautus aliquando dixerit *deluctavi*, & Terentius *luctat*. Quia in primis neuter dixit *reluctavi*, aut *reluctat*: & in re idiomatica non semper analogia valet, nec argumentum à simili. Numquid, quia oritur *profuturus* à *prosum*, oriatur etiam à *possum profuturus*? An, sicut latine nascitur *voluntas* à *volo*, nascetur pariter à *nolo voluntas*? Hac ipsa voce utitur quidem Picus non semel, sed utitur barbarè, nullaque venià Plauti, vel Terentij. Deinde, Plautus, & Terentius, idonei quidem sunt Latinitatis Authores: sed Grammaticis notum est, nonnullas apud eos inveniri voces, ac phrasas, ab usque politiore Augusti sæculo penitus antiquatas, & obsoletas: cuiusmodi sunt *potesse*, *nevolo*, *favitoris*, & alix: ut etiam phrasas illæ, *Quid istum tibi tactio est?* *Quid tibi virum istum ad te receptio est?*

Pici querela
frigida.

202 Denique renovat Picus suam illam, quam sæpè inculcat in utroque Libello, querelam. Quod scilicet in casu fæminæ lectum ingressæ, perperam in Bernardo exigitur *reluctantia*; cum vox ista significet colluctationem facie ad faciem, nec possit aliter intelligi. Sed quis te Plautus, quisvè Terentius hoc docuit, bone Pice? Nonnè reluctatur, qui repugnat, renititur, aut resistit quomodolibet, etiam recalcitrando, vel calcibus pellendo? Desine igitur nugari, dum ego tot ineptiarum depulsione fessus, optatum Aucupio fiaem impono.

NOTA.

Addenda hic erat, velut *Austarium Aucupij*, *Vindicatio duarum R. P. Pinij Notarum* ad narrationes duas V. Guillelmi Abbatis in *Vita S. Bernardi*: quæ *Vindicatio* re ipsa pars est hujus Opusculi. Sed commodus lectoribus fore visum est, quod ea seorsum ederetur.

